

Transcription Notes and Acknowledgments:

**Ephesians Chapter 2:
*Explicatio & Loci Theologici***

Jerome Zanchi's Commentary on Ephesians (1594)

Published November, 2024
by David Attebury

The following is a transcription of the *Explicatio* and *Loci Theologici* of Ephesians chapter 2 from Jerome Zanchi's 1594 Commentary on Ephesians [pages 102-184 of the PDF].

Special thanks to the Post-Reformation Digital Library and the Junius Institute for hosting the works of Zanchi as well as to the NOSCEMUS project for the use of Noscemus GM 6.

Link to the PDF scan of the 1594 edition of Zanchi's Commentary on Ephesians:
<https://davidattebury.com/wp-content/uploads/2024/09/zanch-eph-1594.pdf>

David Attebury is an Associate Pastor at First Baptist Church Lindale, Texas, and a ThM student at the Puritan Reformed Theological Seminary. (M.Div. Southern Seminary, 2015).

For corrections or contact:

davidattebury@gmail.com

davidattebury.com

Scopus Apostoli in hoc altero capite est, eandem, quam & in priori tradidit, doctrinam de gratia Dei in solo Christo: deque gratuita salute per solum Christum, confirmare & illustrare: & ea re Ephesios nosque omnes ad perseuerandum in fide Christi, & ad incrementum in ea faciendum extimulare. Hic est scopus.

Summa porrò totius capitis, haec est. Nos omnes, quotquot electi fueramus in Christo ante mundi constitutionem, postmodum creatos peccasse, nempe originali primùm, deinde actualibus etiam multis peccatis atque sceleribus, & ita mortem damnationemque aeternam, mancipia Diaboli factos, incurrisse: verùm propter summam dilectionem, qua Deus dilexit nos in Christo, ex mera ipsius misericordia & gratia, liberatos nos à peccato, & tùm in Christo capite, tùm reipsa per communicatum nobis Spiritum Christi, perque donatam in eum fidem viuificatos fuisse: ita vt, cùm antea essemus sine Christo, abalienati à Republica Israël (id est, extra Ecclesiam Dei) & extranei à pactis promissionis, spem non habentes, Deoque carentes in Mundo: nunc per sanguinem Christi reconciliati simus Deo, & reipsa cum capite Christo, cumque vera eius Ecclesia, tam coelesti, quàm terrena, coniuncti, effecti iam ciues Sanctorum ac domestici Dei, superstructique super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, quod est Christus, Electos omnes in vnum secum coniungens, vimque nobis perpetuam præbens, qua cum ipso semper omnes in vnum nouum hominem, & in vnum templum sanctum Domino coalescamus: Totumque hoc gratis, non ex operibus, ne quis gloriatur: sed vt solus Deus glorificetur, & benedicatur à nobis. Haec est summa capitis.

3. Duo itaque praecipua Theologiae capita hîc ab Apostolo abundè tractantur, multisque ex professo inculcantur: nimirum de peccato hominis, & gratia Dei in solo Christo, quòd per hunc solum fide apprehensum iustificemur. Interim quidam etiam alij loci obiter attinguntur: vt locus de abrogatione legis, & locus de vocatione Gentium, deque vnione duorum populorum in vnum corpus sub vno capite Christo. [page 103] Sed in illis duobus prioribus locis de peccato, & de gratia, totum ferè caput versatur.

Amplificatur autem peccatum humani generis, vt inde gratia Dei in Christo clarius illustretur: qua iustificati, & ex illo priori miserrimo statu, in alterum longè felicissimum translati & asserti sumus per Christum.

[Finis.] Huius autem gratiae Dei, & beneficij Christi illustratio eò tota spectat, vt nos perspectatanta bonitate Dei in Christo erga nos, tùm ad Deum glorificandum, tùm ad perseuerandum in fide Christi, progressumque in ea faciendum, tùm denique ad totius Christianae pietatis studium promouendum, magis ac magis accendamus.

Hic est finis amplificationis peccati nostri, & gratiae Dei in Christo.

[Partitio] 4. Caeterùm licet duo haec praecipua capita de peccato, & de gratia, in toto (vt antè diximus) capite variè tractentur, ita vt eadem summa doctrinae & initio capitis proponatur, & ad finem vsque explicetur: Docendi tamen caussa, duas in partes totum secamus caput: quarum prima continetur decem prioribus versibus: altera reliquis ad finem vsque capitis: Quae verò sit prioris partis summa, & quid singulis contineatur versibus, postquam percurrero contextum, explicabo. Nunc itaque Paulum audiamus.

1. Et vos cùm essetis mortui, τοῖς παραπτώμασιν καὶ ταῖς ἀμαρτίαις.

Hoc alterum membrum bifariam exponitur: 1. *Primum*, vt Darius Graecus accipiat pro Ablatiuo, quasi dicat, delictis & peccatis, id est, per delicta & peccata mortui eratis: quo sensu dicitur etiam aliquis mortuus veneno, vel gladio, id est, per venenum, aut gladium. 2. *Deinde*, & praepositio ἐν subintelligatur, hoc modo, cùm mortui essetis in delictis & peccatis. Sic enim legit Syriacus: Et sic etiam Coloss. 2. 13. idem habetur, cum praepositione ἐν τοῖς παραπτώμασι.

2. In quibus aliquando (vel olim) ambulastis, iuxta seculum mundi huius, iuxta Principem potestatis aëris & Spiritus nunc agentis in filiis (ἀπειθείας) contumaciae: pro contumacibus.

Variè exponitur & vertitur hic versus.

Illud in quibus περιπατήσατε, vertunt, versati estis: sed verbum ambulandi placet. Sensus enim est, Gentes ante conuersionem ad Christum, placidè, & securè sineque vlllo metu Dei, more eorum qui securi deambulant, totam vitam suam in peccatis traduxisse: Haec est vis verbi, ambulare in peccatis: id est, in peccatis securè viuere. Illud, iuxta seculum, κατὰ τὸν αἰῶνα huius Mundi, Syriacus legit (interprete Immanuele Tremellio) secundum Mundanitatem, id est, vanitatem huius mundi: nisi malis dicere, secularitatem huius seculi, Est enim dictio Syriaci à ܡܠܝܥ Hebraico: quod seculum nobis est, & Graecis αἰών, quasi dicat, secundum profanam & vanam mundi, id est, hominum huius mundi, vitam.

Alij, vt est vita huius mundi: hoc est, secundum quod solet viuere mundus, tam in religione, quàm in moribus. Nam αἰὼν vitam etiam, seu tempus vitae hominis significat, vt notum est: vnde Hesiodus: γλυκερύς αἰῶνος ἡμέρσαι: dulci vita priuare. Ita idem sensus fuerit vtriusque versionis: Ephesios ante conuersionem, vitam totam securè traduxisse in delictis & peccatis, prout etiam reliqui homines huius mundi viuere solent: tùm in religione, colendo idola, tùm in reliqua vita, sequendo carnis voluptates.

Sic etiam Scholia interpretantur: αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, τὸν διεστραμμένον λέγει βίον: distortam scilicet à lege Dei, & peruersam vitam.

Ab hac interpretatione non recedo, sed tantum addo, hac voce αἰῶνος, Mundi significari non simpliciter vitam & mores hominum huius mundi, sed mores & consuetudinem iam olim receptam, & pertinaciter in omni seculo apud omnes retentam: vt sit sensus, vos ambulastis securi in delictis & peccatis, imitati hac in parte veterem & communem reliquorum hominum huius mundi consuetudinem: colentes scilicet idola, & vestras sequentes voluptates, sicut & reliqui.

Illud quod sequitur,

Et iuxta principem potestatis aëris (sic enim habet ad verbum) & Spiritus operantis, &c. variè etiam vertitur, & exponitur: Syriacus habet.

Et iuxta voluntatem praecipuae potestatis aerei Spiritus: qui efficacem se praebebat.

Omnes Diabolos vult appellari potestates, sicut est etiam infra cap. 6. 12. Sed vnum praecipuum esse omnium harum potestatum Principem & Ducem Satanam, quem vocat praecipuam potestatem.

Illud τοῦ πνεύματος, vult esse explicatiuam particulam, quid sit ista praecipua potestas, Spiritus est (inquit) aëreus: hoc est, non ex substantia quidem aërea, sed habitans & dominans in aëre: id est, mundo: sicut & Christus vocat Principem huius mundi.

Scholia eodem ferè modo interpretantur. Ideo rationem afferens Scholiastes, cur Satanus vocetur ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος τοῦ πνεύματος, αἰτ, ἄρχει γὰρ καὶ ἐξουσίασται, ὁ Σωτὴν τῶν. ἐναερίων καὶ πονηρῶν πνευμάτων.

Discrimen hoc tantum est inter Syriacum & Scholiasten: quod ille vocem τοῦ πνεύματος, ad solum Satanam immediatè refert, nempequod sit Spiritus potentissimus quidem, sed tamen efficax tantum in filiis contumacibus: Scholiastes [page 104] autem refert ad omnes potestates seu Diabolos, quod omnes sint Spiritus aërei, efficaces in filiis contumacibus.

Alij legunt secundum principem, cui potestas est aëris: (quasi dicat, qui princeps est huius mundi:) quod sequitur τοῦ πνεύματος, non intelligunt per appositionem, sed subintelligunt καί: Et nomine Spritus, intelligunt afflatum Diabolicum, quo mundus impellitur vt resistat Euangelio, & ambulet in peccatis: *vt sit sensus*, Satanam, principem quoque esse & primum autorem huius afflatus, quo homines mundi, ad ambulandum in delictis, & ad resistendum Euangelio impelluntur. Ex huius autem principis arbitrio, Ephesios olim vixisse.

Sententia haec, quae ita distinguit & interpretatur τὸ πνεῦμα, mihi magis placet: sed rursus magis etiam probatur sententia Syriaci, & Graecorum, vt nomen ἐξουσίας in singulari, pro plurali accipiatur, propter locum Apostoli adductum ex cap. 6. huius Epistolae. Neque inusitatum est Spiritui sancto in sacris literis, vno in singulari numero nomine, multos & omnes eiusdem nominis significare: vt nomine peccati, omnia peccata, quum ait Ioannes de Christo, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*: omnia complectens peccata. Ita hic, Satan princeps τῆς ἐξουσίας, pro τῶν ἐξουσιῶν appellatur.

Ratio autem cur Apostolus Diabolos modò in plurali nominet potestates, vt Ephes. 6. modò in singulari potestatem, vt hic, haec mihi esse videtur. Singulari numero vtitur, vt significet omnes tanquam exercitum vnum, communi animo, in vnum aduersus nos coniurasse, & ad vnum atque eundem finem, omnium istorum astutias & arma spectare: plurali verò numero eos nominat, vt ostendat eos nobis esse reformidandos, non solùm propter commune odium omnium contra nos, sed etiam propter potentiam, quòd sint multi, & vbique praestò ad nos perdendos.

Itaque haec videtur esse Apostolica Satanae descriptio, quòd sit princeps omnium potestatum id est, Diabolorum, qui in hoc aëre & mundo dominantur, & simul etiam princeps, primusque autor huius spiritus, id est, adflatus mali, quo mundus, id est, homines mundi, excitantur, vt resistant Euangelio, ambulentque in peccatis.

Quod verò addit, spiritum hunc efficacem esse in filijs contumacibus: de eo nulla est diuersa lectio, aut sensus. Differentiae autem caussa, hoc adiecit Apostolus, vt doceret, licet Daemones, vtpote potestates huius aëris, potentes sint suo isto spiritu & afflatu: potentiam tamen hanc suam non posse exerere in omnibus, vt in pijs hominibus, sed tantùm in impijs ac contumacibus, qui non sinunt sibi persuaderi à Spiritu sancto, quae tradita sunt in sacris literis. Ij enim significantur nomine filiorum τῆς ἀπειθείας. Haec de versione & sensu, secundi versus.

3. Inter quos (filios ἀπειθείας) & nos omnes conuersabamur olim in concupiscentijs voluntatis carnis & cogitationum (ad verbum: id est, quae carni & cogitationibus placebant) eramusque filij irae, sicut & reliqui.

Hic inter interpretes nihil video discriminis: nisi quòd Syriacus principium versus, ἐν οἷς, in quibus versabamur & nos: non ad filios τῆς ἀπειθείας, ambulantes in peccatis, refert: sed ad opera mala ac peccata, ad quae facienda Satan efficax est in filijs contumacibus. Construit enim cum praecedenti versu hoc modo: dixerat, Qui (Spiritus) sese praebebat efficacem in filijs contumaciae: Nunc subdit quibus nam in rebus sese praebeat efficacem, In illis (inquit) operibus, in quibus etiam nos versabamur. Sed retineo receptam sententiam: ἐν οἷς, inter quos filios ἀπειθείας. Quòd ad finem addit plenè,

Eramus plenè natura filij irae: illud tanquam explicationem amplector, quasi dicat, non vna parte naturae, sed tota planè nostra natura eramus filij irae.

4. *Sed Deus, qui diues est in misericordia, vel (vt Graecè legitur) diues existens, seu diues cùm esset in misericordia: propter multam charitatem suam, qua dilexit nos.*

5. *Etiam cùm essemus mortui delictis (seu per delicta) conuiuificauit nos Christo: (vel viuificauit nos vnà cum Christo) (gratia (idest, per gratiam) estis seruati.)*

Syrus, Quòd hîc per parenthesim legimus (*gratia estis seruati*) ille sine parenthesi, sic cum praecedenti beneficio coniungit, dicendo:

Et per gratiam suam, redemit nos.

6. *Et conresuscitauit (nempe nos cum Christo) & consedere fecit in supercoelestibus, in Christo Iesu.*

In versione nulla ferè est inter interpretes differentia: tantùm Syriacus illud, in Christo Iesu, legit per Christum Iesum. Sed magis placet Graecus textus, in Christo Iesu. Hoc enim adiecit Apostolus, vt doceret nos quidem, ad nostras personas quod attinet, nondum reipsa corporaliter esse resuscitados, aut sedere iam in coelestibus, sed tantùm in capite nostro, in persona Christi, vt certissimam spem habeamus fore, vt etiam reipsa in nostris personis, illud tandem impleatur.

7. *Vt ostenderet in seculis superuenientibus (vel superuenturis, aut, vt Beza, succedentibus) superabundantes diuitias. (vel summam opulentiam) [page 105] gratiae suae in benignitate sua (id est, per benignitatem suam) erga nos, in Christo Iesu.*

8. *Gratia enim estis seruati per fidem, (idque non ex vobis, Dei donum est.) Syr. ait, Gratia enim sumus reddemi, &c.*

9. *Non ex operibus, ne quis gloriatur.*

10. Ipsius enim sumus opus (Factura, Hier. & Valla legunt: Syriac. creatura) conditi in Christo Iesu, ad opera bona, quae praeparauit Deus (Syr. quae ab initio parauit) vt in eis ambularemus.

[Explic.] Hic est contextus prioris partis huiusce capitis. Subdiuiditur autem in quatuor particulas, quarum haec est summa:

[Misericordia hominis] 1. Prima particula, hoc est, primis tribus versibus, docet Apostolus, omnes homines tam Iudaeos, quàm Gentiles, non solum ambulasse, id est, vitam suam securè traduxisse in omni peccatorum genere, verum etiam in eis conceptos & natos esse, eoque natura esse filios irae: itaque mortem incurrisse, spiritualem imprimis, deinde etiam corporalem, & illam aeternam: mancipia item factos esse Satanae, cuius quanta sit potentia describit: totam denique naturam esse corruptam, animam & corpus, ita vt facti simus tota caro, concupiscentijsque eius obsequentes. Haec sunt effecta peccati, in quo nati sumus, & versati.

Sed dum noxam, & effecta peccati explicat Apostolus, simul etiam causas quasdam peccatorum subindicat, nimirum exemplum catholicum, & consuetudinem mundi: Satanae instigationes, & carnis nostrae tentationes ac concupiscentias.

Haec summa est prioris particulae.

[Liberatio] 2. Secunda particula, hoc est tribus alijs insequentibus versibus 4. 5. 6. declarat, cum essemus ita mortui, à quonam, per quem, & quibus nam ex causis simus viuificati: nimirum à Deo, per Christum, & ex immensa charitate ac gratia eius erga nos.

[Causa finalis] 3. Tertia particula, hoc est septimo versu, causam quandam finalem huius gratuita salutis erga Ephesios aperit: vt scilicet ijs, qui secuturi erant, exemplum suae immensae misericordiae & gratiae, hac benignitate in Christo praestita, praeberet.

[Confirmatio] 4. Quarta, id est tribus versibus postremis, 8. 9. 10. confirmat conclusionem, Nos scilicet gratis saluos esse factos, & ex mero Dei dono:

quando etiam fides, regeneratio, operaque fidei, dona sunt Dei, per quae tamen vult glorificari. Haec est subdiuisio, & summa prioris partis.

[Connexio cap. 2. cum primo.] Continuatur autem hic contextus cum superiori, hoc modo. Concluserat Apostolus, cùm Christus sit constitutus caput Ecclesiae, nos verò omnes simus eius membra: Quicquid Deus contulit in Christum tanquam caput nostrum, totum illud in nos quoque partim jam collatum esse, partim collatum iri, per eandem potentiam erga nos Dei, quam etiam in Christo exeruit. Non enim Christum carere posse suis membris: quae sunt πλήρωμα ipsius. Atqui Deus Christum hominem & caput nostrum, mortuum pro nobis, excitauit a mortuis, extulit in coelum, & sedere etiam fecit ad dexteram suam in supercoelestibus locis. Ergo nos quoque partim in ipsius persona iam suscitauit, & sedere fecit in supercoelestibus locis, partim reipsa in nobis beneficium hoc iam spiritualiter inchoatum, tandem suo perficiet tempore. Hoc igitur est, quod ait, praemissa copula. *Et vos* (scilicet viuificauit) *cum essetis mortui*. His explicatis, nunc accedimus ad res ipsas in singulis versibus considerandas & explicandas.

Et vos cum essetis, &c.

Duo in hoc versu habemus, peccatum, & primum peccati effectum atque poenam, nempe mortem: Mortem cùm ait, cùm essetis, mortui: peccatum, huius caussam, cùm ait, cùm essetis mortui in delictis, vel per delicta.

Propositum autem Apostoli est, demonstrare, nos fuisse mortuos, vnde? à peccato, mortis caussa.

Hic igitur primùm locutio est obseruanda: Deinde de peccato, & tertiò de morte aliquid dicendum & obseruandum est. [Mortui peccatis quomodo dicantur.] Ad primum: Locutio mirabilis est: ait Ephesios fuisse mortuos in peccatis: Et tamen mox subdit, Eos ita mortuos, ambulasse in peccatis: quomodo mortui ambulant? Quo mortis genere quis mortuus est, vitae certe illi morti oppositae opera praestare nequit. Docet igitur Apostolus hac sua phrasi, se non de quauis morte, sed de Spirituali hoc loco immediatè, & propriè locutum fuisse.

Secundò, locutio haec, mortuum esse peccatis, duplicem habet sensum: Vnus est, non amplius seruire peccatis: nam qui nobis mortuus est, is amplius nobis sua non potest praestare opera: ita qui mortuus est Iustitiae, iusta opera non potest facere: qui peccato mortuus est, peccati desideriiis seruire non potest: Et hoc sensu dixit ad Rom. 6. *Si mortui sumus. peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Item Existimate vos mortuos esse peccato: viuentes autem Deo. Sensus iste non quadrat huic loco, imò planè contrarius est.

2. Secundus sensus est, mortuum esse peccatis (in ablatiuo casu) id est, per peccata (ut supra diximus) & propter peccata. Per peccatum quidem tanquam per instrumentum: Est enim peccatum instrumentum & medium, quo Diabolus nos enecat, & vita priuat. Sic Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Propter peccatum autem tanquam caussam, propter quam [page 106] Deus nos vita priuat, Et sic Roman. 6. *Stipendium peccati, mors est:* Et ita Christus etiam dicitur semel mortuus esse peccato (non suo, sed nostro) ad Roman. 6. quia propter peccata nostra mortuus est. Nos & per peccatum, & propter peccatum mortui sumus ante conuersionem: ideo vtroque sensu rectè dixit Apostolus, Ephesios mortuos fuisse peccatis.

3. Tertiò, si verò legas, mortuos esse in peccatis, praeter praedictum sensum aliquid etiam amplius dicit Apostolus, quod ad gratiae illustrationem pertinet maiorem: nempe Gentiles ita fuisse peccatis deditos & immersos, praesertim idolis suis colendis, vt non magis possibile esse videretur, vt ad studium iustitiae redirent, & ad cultum veri Dei, quàm vt mortuus redeat ad vitam: Et tamen per Christum redierunt. Ille enim dicitur alicui rei esse immortalis: à qua non potest amplius auelli. Amplificatur ergo beneficium gratiae Dei, quòd de quibus nulla prorsus erat spes salutis & vitae spiritualis: per Christum sint viuificati.

[Pelagiani refutantur] 4. Quartò, Obseruanda igitur est haec locutio aduersus Pelagianos Scholasticos: qui aiunt hominem per peccatum esse factum semimortuum, ita vt aliquid vitae & virium ad opera iustitiae in eo relictum sit: [Luc. 10.] ad quod probandum abutuntur parabola Christi de homine vulnerato à latronibus, sed non prorsus mortuo: Parabola verò est, & aliò spectans. At Paulus apertè, & sine parabolis appellat omnes nos propter peccata, mortuos, & sic alibi saepius: Et Christus, *Sinite mortuos sepelire*

mortuos suos. [Matt. 9.] Tantum igitur virium est in homine non renato, ad bonum & ad opera iustitiae, quantum est in homine mortuo ad opera praesentis vitae.

Ac de locutione haec obseruata sunt: tantum retineatur propositum Apostoli: Nos verè mortuos fuisse per peccata.

Nunc de peccato nonnihil dicendum, quantum ad loci intelligentiam pertinet. Nam locum de peccato, seorsim, absoluto capite tractabimus Deo volente.

[Depeccato] 1. Dubium non est, quin Apostolus in his tribus versibus, & de originali agat, & de actualibus: sed de actualibus priori loco, tanquam nobis notioribus, nempe hoc primo versu, & 2. & 3. Deinde de Originali, in fine tertij cùm ait, *Et eramus omnes natura filij irae, sicut & reliqui, etc.* Si naturâ filij irae, Ergo etiam naturâ peccatores.

Ergo quod hîc ait, mortuos fuisse Ephesios in delictis & peccatis, licet possit ad peccatum etiam originale accommodari, quando etiam Dauid de eodem loquens, in plurali dixit, Psalm. 51. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* tamen ego non dubito, quin de actualibus loquatur, & inprimis de Idololatrijs, & idolomanijs, in quibus erant ita immortui & sepulti, vt inde nunquam ad verum Deum conuerti posse viderentur.

Adde, quòd subdit, eos in illis peccatis ambulasse, id est, vitam suam securè, quasi benefacere sibi viderentur, traduxisse. De actualibus ergo, & inprimis de idolorum cultibus, locutus est hîc Apostolus.

2. Ad duas has voces quod attinet, παράπτωμα, ἁμαρτίαν, vtraque significat erratum, & aberrationem, nempe à regula legis diuinae: Vnde & omne peccatum, dicitur ἁνομία, quia declinat à lege Dei: Et Cicero in Paradoxis dixit, Peccare nil aliud esse, quàm lineas transilire

Παράπτωμα certè à verbo παράπτωμαi deriuatur, quod significat temerè aberranteque manu aliquid tangere: Ideo erratum significat. Ἀμαρτία etiam idem significat: Est enim, teste Suida, τοῦ ἀγαθοῦ ἀπωχία: Et vt Erasmus ait, Erratum significat, quod ex ignorantia contingit,

Sunt qui velint priori nomine significari peccatum originale, altero actuale: sed nullam afferunt rationem suae sententiae.

Sunt etiam, qui alio modo distinguant vnum ab altero, quòd primum significet prauos motus internos, qui non perficiantur: alterum prauos motus externos, qui scilicet perficiantur: Sic Hieronymus: sed non semper hoc discrimen seruatur. Imò in scripturis video vsurpari vtrumque pro quouis peccatorum genere: & vtroque significari quicquid aberrat à lege Dei, eive repugnat, seu omnem ἀνομίαν: Cùm autem etiam corruptio naturae, repugnet legi diuinae, non incongruè dici potest his vocibus, ipsum quoque peccatum originale indicari, quod ipse etiam Dauid vocat iniquitates, & peccata. Magis tamen placet, quod initio dixi, hîc probari eos fuisse mortuos, probari inquam à peccatis actualibus, quae negare non poterant, quia in illis manifestè ambulant: postmodum indicari etiam radicem versu 3. cùm ait, Omnes nos naturâ esse filios irae. Si quod tamen discrimen inter has duas voces faciendum est, puto hoc fieri posse: nempe vt primo vocabulo significetur externa Idololatria, altero ipsa interna Idolomania. Etsi enim dubium non est, quin Apostolus Gentes accuset de peccatis omnibus, tam in secundam, quàm in primam tabulam, seu tamen moribus, quàm in religione admissis: tamen speciatim de peccatis, quae in Deum immediatè, & contra eius cultum erga idola admiserunt, eos accusare mihi omnino videtur id quod liquet primùm ex eo quod subiicit, eos ambulasse in peccatis, iuxta secusum mundi huius, id est, iuxta catholicam totius mundi inueteratamque consuetudinem. Hoc autem erat commune omnium gentium, & vbique locorum, omniumque temporum, [page 107] vt colerent Idola, idque securè sine vllo conscientiae scrupulo, aut metu Dei, quia putabant, se verum Deum, & vero cultu colere: Deinde idem liquet ex amplificatione peccati, quam postea subiiciet in secunda parte, dicendo: *Eratis sine Deo, sine Christo, alienati a Republica Israelis*: Tertiò liquet etiam à contrario, id est, à conuersione ipsorum, cùm ait, *Eos factos esse prope, &c.* Accessisse ad veram Ecclesiam, & ad Christum, hoc est, ad veram religionem esse conuersos. Speciatim igitur accusat eos de falsa religione. Haec autem diuiditur in idololatriam & idolomaniam: & vtrumque est verè erratum, quia ex ignorantia Dei est. Ergo absurdum non fuerit dicere, vno vocabulo significari idololatriam, altero idolomaniam: externam & internam idololatriam.

Sed vtur sit, summa haec est, hîc à Paulo demonstrari omnes gentiles fuisse mortuos: ratio, quia omnes peccatores, & in peccatis fuerunt. Ergo cùm Deus eos viuificarit in Christo: ea in re suam potentiam declarasse, quanta sit, sicut & in Christo eam exeruit, cùm suscitauit eum à mortuis.

Sed de quanam morte loquitur, & quid est ista mors?

[De Morte.] Triplex est mors, spiritualis, de qua Iohan. 5. *1. Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint uiuent:* 2. Corporalis, omnibus nota: de vtraque est illud, Matt. 9. *Sinite mortuos* (spiritualiter) *mortuos suos* (corporaliter) *sepelire:* 3. Et tertia, mors illa aeterna, & ad corpus & ad animam pertinens, quâ afficientur omnes impij in inferno.

Has omnes esse peccati effecta, id est, à peccato profectas, nemini ignotum est: Has enim omnes minatus est Deus Adamo cùm dixit, *Quacunque hora comederis, &c. morte morieris.* Nam tum statim mortuus fuit spiritualiter, incurrit etiam in mortem corporalem, quia factus mortalis, & reus factus fuit aeternae mortis. Ideo neque dubium est, quin tota Adami posteritas, non solùm Gentiles, sed etiam Iudaei tum propter peccatum originale, tum propter peccata actualia, hoc triplici mortis genere, puniti fuerint: mortui statim spiritualiter, & morti corporali, atque aeternae obnoxij effecti. Ergo neque incongruum est dicere, Apostolum, cùm dixit nos Gentiles mortuos esse peccatis, seu per & propter peccata, omne mortis genus complexum esse. Nam cùm etiam dixit, nos fuisse cum Christo viuificatos, & resuscitados, procul dubio intellexit, beneficio Christi, & gratiâ Dei, nos omnibus istis mortis generibus liberari. Totum hoc verum est, Interim circumstantiae praesentis loci Paulini, docent nos, Apostolum propriè & immediatè hîc de morte spirituali locutum fuisse. Huic enim morti, opponit vitam, qua iam per gratiam Dei & propter Christum reapse viuificati erant, & eius opera praestabant, facti iam reipsa membra Christi. Haec autem fuit vita spiritualis, ex regeneratione Spiritus sancti comparata. Propriè igitur hîc omnium quoque interpretum iudicio, de morte spirituali sermonem instituit. Apostolus: Atque haec est prima mors, de qua in Apocalypsi cap. 20. sicut liberatio ab hac prima morte, prima quoque resurrectio appellatur ab eodem Iohanne in Apocalypsi, dicendo: *Beatus qui habet partem in resurrectione prima.* Tenemus igitur primum peccati effectum, & primam noxam, quae est mors

prima ac spiritualis. Sed quid nam propriè est haec mors? A definitione eius mortis, quae nobis notior est, nempe corporis, facilè quid etiam sit haec spiritualis, intelligetur. Cùm mors sit oppositum vitae priuationum, vita autem à principio intrinseco, quod est anima, oriatur & eius sit effectum, vt definiunt Philosophi, & omnibus notum est; Sic definienda est mors per priuationem scilicet vitae.

Mors corporalis priuatio est vitae, eoque & omnium vitae actionum ex animae à corpore separatione seu absentia, profecta. Quid sit vita & viuere, nunc non disputamus: alibi non pauca diximus. Hoc tantùm repeto, vitam effectum esse animae: quia anima principium est intrinsecum, quo viuimus, sentimus, intelligimus. Differt igitur vita ab anima, sicut effectum à caussa, & ita etiam effecta operationesque vitae, à vita ipsa differant necesse est. Sunt igitur tria in viuente inseparabilia, Anima viuificans, vita ipsa, & vitae actiones: tolle animam, sustuleris vitam, tolle vitam, nullae supersunt actiones vitales.

Rectè igitur diximus, mortem esse priuationem vitae, eoque & omnium vitae actionum, ex animae à corpore separatione profectam. Sic igitur etiam de spirituali dicendum est vita & morte. Vita spiritualis, est quoddam esse spirituale & diuinum, quo ad actiones spirituales & diuinas mouemur, à praesentia Spiritus sancti in nobis inhabitantis profectum. Spiritus sanctus regenerans, in hac vita spirituali, sese habet loco Animae: Ipsum spirituale & nouum esse, quod per regenerationem à Spiritu sancto accipimus, est ipsa spiritualis vita, quae & nouae creaturae, & diuinae naturae nomine significari solet. Sanctae autem & spirituales cogitationes, sancta desideria, sanctae denique tam internae, quàm externae actiones, operationes sunt huius vitae spiritualis. Quid igitur fuerit mors spiritualis? Priuatio vitae spiritualis eoque omnium spiritualium & bonarum actionum, in homine Spiritus sancti viuificantis praesentia destituto, à peccato & propter peccatum exorta.

Hinc dicimus, [page 108] quicumque per Spiritum sanctum regeniti non sunt, Spiritumque Christi non habent in se inhabitantem, eos mortuos esse, ac perinde neque vllum vitae opus praestare posse: sed tantum foetere instar cadaueris: Spiritus autem sanctus certè non habitat vbi regnat peccatum, ita vt obediatur concupiscentijs eius. Manifestum igitur est, Qui viuunt in peccatis, eos mortuos esse per ipsa peccata, & in ipsis peccatis, vt Apostolus docet: ac

proinde eos nil habere virium ad verè bonum, & ad vitae spiritualis actiones. Quid enim mortuus corporis morte, virium habet ad actiones praesentis vitæ? Sic neque mortuus spirituali morte, quidpiam valet ad opera spiritualis vitae. Quare sicut ἀδύνατον est, vt mortuus resurgat, nisi à Deo viuificatus, quia naturaliter à priuatione ad habitum non datur regressus: Sic etiam hoc significare voluit Apostolus, cùm dixit nos mortuos esse peccatis nostris: non dixit vulneratos, non semimortuos, sed simpliciter mortuos. Quorsum verò haec doctrina? Vt melius agnoscatur. gratia Christi, qui nos totos viuificat, resuscitat, regenerat, omnesque vires ad bonum suppeditat. Si tantum ex parte essemus mortui, vt volunt Sophistæ etiam Christus tantum ex parte viuificaret: nec toti essemus noua creatura in Christo, sed ex parte. Absit autem haec blasphemia à nostris Scholis & Ecclesijs. Nunc tenemus quid sibi voluerit Apostolus in hoc primo versu: Et quae sit eius propositio: Omnes nimirum qui sunt extra Christum, mortuos esse: Ratio, quia omnes sunt in peccatis: Peccatum autem per se mortem ipsam affert.

Nunc confirmaturus propositionem hanc, subiicit.

In quibus olim ambulastis, secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis (pro potestatum) aëris, et spiritus illius qui nunc operatur in filiis contumaciae.

Confirmat propositionem suam Apostolus, quae fuit, Vos fuistis mortui in peccatis. quomodo confirmat? ab effectis huius generis mortuorum hominum: *quoniam ambulastis* (inquit) *in illis*. Pendet haec ratio, ab hac propositione: Quicumque ambulat in peccatis, is mortuus est in peccatis, seu per peccata. Sic 1. Tim. 5. *Vidua in delitijs viuens, mortua est*. Si haec ratio Apostoli firma est, vt reuera est, intelligimus ambulare in peccatis, proprium esse non renatorum, hoc est, eorum qui mortui semel per & propter peccatum originale, manent adhuc mortui in peccato, cùm nondum sint per Spiritum sanctum Christo insiti, & à Christo viuificati. Nam si hoc commune esset non renatis cum renatis, consecutio non valeret, Tu ambulas in peccatis, Ergo mortuus es, & nondum renatus: quia in promptu esset exceptio, ambulare in peccatis, commune esse renatorum, & non renatorum. Discamus ergo aliud esse, simpliciter peccare, labique in peccata (quod est etiam renatorum) & aliud ambulare in peccatis, quod proprium est non renatorum: Sicut etiam aliud est labi in lutum, aliud ambulare in luto. Qui labitur in lutum, labitur

certè inuitus & non volens, ac proinde lapsus dolet, & mox vt surgat & repurgetur, operam dat: atque hoc hominum est, qui ratione valent, & munditiei sunt studiosi: At qui ambulat in luto, sponte & sciens ac volens ambulat, & in eo sese volutat, eoque delectatur: id quod proprium est porcorum, & insanorum hominum.

Apostolus ad Rom. 8. discrimen hoc docet. esse inter renatos, inque Christo manentes, & inter non renatos, quique non sunt in Christo: quod scilicet, qui sunt in Christo Iesu, habentque Spiritum Christi, ij licet adhuc carnem secum habeant, ambulant tamen non secundum carnem, sed secundum spiritum: ac proinde quod aliquando inter ambulandum secundum Spiritum, labantur in ea quę sunt carnis, ait hoc illis non esse ad condemnationem. Non ait, hoc illis non verti vitio, aut hoc illis non esse peccatum: sed tantum, hoc nihil illis adferre condemnationis: quid ita? quia cum sint in Christo, & renati per illius Spiritum, oderunt peccatum & opera carnis: ac proinde si quando in illa labantur, contra animi & Spiritus propositum labuntur, eoque & dolent, & mox vt surgant, cursumque secundum Spiritum continent, id diligenter dant operam. Ita à contrario indicat Apostolus, ambulare secundum carnem, id quod idem est, quod etiam ambulare in peccatis, proprium esse eorum, qui in Christo non sunt renati: quia qui in Christo sunt, eiusque Spiritu ducuntur, cum peccant, aut ex ignorantia, aut ex infirmitate peccant, & faciunt quod nolunt, vt Rom 7. cap describit Apostolus in sua persona: instar eorum, qui inter ambulandum labuntur, cum nolissent labi: Quare ex his etiam intelligimus, id quod de principio diximus, ambulare in peccatis, non esse simpliciter peccare, sed vitam in peccatis secure, & sine timore Dei traducere, inque illis sese oblectare, more eorum qui animi causa deambulant. Sicut etiam contrà, ambulare in bonis operibus (vt infra habemus v. 10.) non est simpliciter aliquod opus bonum facere, sed in studio bonorum operum tota vita sese exercere, & vt illis glorificemus Deum, prosimusque Ecclesiae, perpetuò operam dare: idque animo per fidem securo de salute propter Christum, & quòd quae agimus sint Deo propter Christum grata. Hanc enim fidei & Spiritus, non autem carnis securitatem, exigit à nobis Deus, & verè etiam donat, vt posito omni hostium timore, alacriter & leto animo illi seruiamus, sicut etiam Zacharias habet in cantico suo, *Vt sine timore (inquit) de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* [Luc. 1] Ex hac explicatione, nempe quid sit ambulare in bonis operibus intelligimus à contrario, quid sit

ambulare in peccatis: Ac sicut illud est proprium renatorum, viuentiumque in Christo, sic hoc alterum proprium [page 109] esse non renatorum, sed qui adhuc mortui sunt in peccatis: eoque Apostolum optimè argumentatum esse, vos olim ambulastis in peccatis: Ergo per illud tempus fuistis verè mortui (nempe spiritualiter per peccata. Hanc doctrinam ex primo membro collectam retineamus, de discrimine piorum, & impiorum in peccando: Et quàm recta sit haec sequela intelligamus, *Ille ambulat in peccatis: Ergo mortuus est.*

Addam tamen & hoc, hac locutione Apostolica, Ambulare vel in peccatis, vel in bonis operibus, significari vitam nostram esse iter quoddam, seu profectionem, qua itur vel ad coelum, vel ad tartarum, vt loquitur Petrus: Ideo placet, quod dixi, ambulare, esse vitam traducere, vel in bonis, vel in malis operibus.

Alterum membrum ita habet, κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου.

Siue interpreteris, vt nos, nempe, iuxta veterem totius mundi consuetudinem & mores, Siue, vt alij, nempe, vt est vita huius mundi, id est, prout viuere solet & consuevit mundus. 1. Duo certè his verbis facit Apostolus: primùm explicat, de quibus nam potissimùm peccatis illos accusarit, quòd in illis securi olim vitam transegerint suam, nempe de illis in quibus non ipsi soli, sed totus ferè mundus ideo securè ambulabat, quòd suos non agnosceret errores. Hęc autem peccata, & errata erant idololatriæ & idolomaniae. Nam peccata in secundam tabulam, non penitus ignota erant gentibus: sed idolorum cultus pro peccato non agnoscebatur, imò, tanquam Deo gratus, carus habebatur: proinde catholicus communisque erat error.

Apostolus autem hac particula, κατὰ τὴν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, indicare voluit, se de catholicis potissimum peccatis, omnium Gentium ac populorum, & omni seculo communibus loqui: in illis enim cultibus verè mortui erant, eosque ita deperibant, vt nunquam inde liberari posse viderentur: & tamen per Christum fuerunt liberati.

[Idololatria peccatum commune.] Hinc igitur doctrinam hanc colligere debemus, omnia quidem peccata per se mortem afferre, sed id in quo potissimùm homo dici potest esse mortuus, & pro cuius remissione, atque ab illo liberatione quàm maximas gratias agere debemus, esse idololatriam,

quam tanquam communem errorem exemplo catholico huius mundi tamdiu sequuti sumus. Hoc est primum.

[Exemplum catholicum valde mouet.] 2. Deinde iisdem verbis causam aperit primam, cur Ephesij in huiusmodi idololatrijs securi tamdiu vixerint, seque exercuerint: & docet hanc fuisse, quia scilicet viderunt non solùm suos parentes, auos, proauos, atavos omnesque suos cognatos & affines, viros quoque alios, fama sanctitatis & eruditionis illustres verùm etiam totum planè mundum, post hominum memoriam, eam religionem tanquam sacrosanctam semper & constanter secutum fuisse. Exemplum hoc catholicum & vetustissima constantissimaque consuetudo apud omnes recepta, alienos Deos colendi, talemque idololatricum cultum sequendi, tantum potuit apud Ephesios, sicut & apud alios multos, vt non solùm nunquam (nempe ante conuersionem ad Christum) potuerint ab illis idololatrijs auelli, sed ne agnoscere quidem valuerint, eas esse peccata: interim tamen nullum grauius erat peccatum in mundo. Hinc igitur discamus qualia sint argumenta illorum, qui nostro quoque tempore manifestas idololatrias tueri conantur, ducta nimirum à diuturnitate temporis, à multitudine hominum, à catholica denique nescio qua consuetudine: Etsi enim quod assumunt istimanifestae idololatriae defensores, de catholico omnium consensu, falsum est: tamen etiamsi verum esset, nihil concluderetur hoc argumento, nisi prius verbo Dei confirmaretur. Annon hoc argumento utebantur & Ephesij, & alij Gentiles? Apostolus tamen docet, paralogismum esse à non caussa pro caussa. Catholica enim consuetudo, si sit contra verbum Dei, legemve naturae, non est legitima caussa, cur debeas hoc aut illud facere, praesertim verò in religione, id quod etiam Cyprianus vidit, vt etiam citatur in decreto, *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est*. Item, *Non enim Christus dixit, Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas*. [Dist. 8. c. 9.] Interim quantum valeat consuetudo, receptique apud omnes mores, si praesertim accedat antiquitas temporis: nos quotidie experimur. Ebrietas olim in Africa, & nunc in Germania, quia diuturnam habet consuetudinem, non tam apud plebem, quàm apud principes & nobiles: idcirco non solùm non potest facilè tolli, sed ne agnoscitur quidem pro peccato: sicut neque idololatria apud Pontificios. Multi ambulant in ebrietatibus, & alij in falsis cultibus iuxta seculum mundi huius: seu, vti est vita huius mundi, id est, prout viuere solet mundus: Sed interim ambulant in peccatis, & in illis mortui sunt. Non nitamur ergo diuturnis consuetudinibus, & aliorum, ne totius quidem mundi, exemplis, vel in religione, vel in moribus

vitae: Sed verbo, & voluntate Dei, exemploque Christi, Apostolorum quoque & Prophetarum, quatenus ipsi imitati sunt Christum, secutique verbum Dei.

3. Tertium membrum ita habet, *Et cuxta principem potestatis aeris (&) spiritus nunc agentis efficaciter in filiis contumacibus.*

Bifariam diximus explicari posse hanc particulam, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας, τοῦ ἀέρος: nempe, aut primò, secundum principem, id est, (vt Scholia explicant) ex voluntate & imperio principis, id est, Satanae, cui data est potestas aëris. Secundò, aut iuxta principem potestatis, pro potestatum aëris, id est, iuxta voluntatem Satanae, qui diabolorum omnium in hoc aëre habitantium, princeps est.

Siue autem vnam, siue alteram sequaris interpretationem: [page 110] tria facit Apostolus hoc tertio membro: *1. Primùm*, aliud peccati effectum praeter mortem, de qua diximus, explicat: hoc autem est, quòd nos addicit Satanæ, & eius efficit mancipia, vt ad eius voluntatem & imperium omnia faciamus. Ideò ait, eum suo spiritu, hoc est, afflatu, efficaciter operari in filiis contumacibus: id est, in ijs, qui facti semel sunt ipsius mancipia. Quaa de re in vltima etiam ad Tim. scribit Apostolus: [2 Tim. 2.] hortans Timotheum ad faciendum officium, vt per eius ministerium Deus conuertat illos, qui contrario sunt animo: vt conuersi agnoscant veritatem, & elapsi expiaboli laqueo, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Est haec peccati noxa grauissima, & malum incomparabile: quòd scilicet homo mancipium fiat sui capitalissimi hostis, ad eius voluntatem faciendam in contumeliam Dei, & in sui exitium. Interim sic postulant iusta Dei iudicia, vt qui nolunt se subijcere voluntati Patris Dei, cui seruire, regnare est, subijcianatur libidini hostis Diaboli, qui eis illudat, eosque perdat eterno exitio. Tales autem sunt omnes, qui Christo insiti non sunt. Qualis igitur status fuit Ephesiorum, & omnium nostrum ante conuersionem? Hinc discamus, quanta diligentia vitanda sint peccata: quia *qui facit peccatum, non solùm* (vt Christus docet) *seruus fit peccati*, sed etiam mancipium fit Satanae (vt hîc docet Apostolus) auctoris peccati.

2. Secundo loco, causam indicat alteram peccati, & praesertim cur Ephesij alijque Gentiles in peccatis illis, maximè verò idololatriæ, ambularint: nimirum, quia cum facti essent mancipia Satanae, ex ipsius imperio viuebant

& agebant omnia. Satanas igitur princeps Diabolorum omnium, eos permouerat, vt ad exemplum aliorum, & iuxta catholicum mundi consensum, ambularint in illis peccatis, idololatria praesertim & idolomania. *Et sic Ambrosius*: “Principem potestatis Diabolum intelligit, seculi intelligentiam corrupisse, vt ab vno Deo recederet, multorum Deorum opinionem suscipiens.” Ergo catholicus ille consensus in idolorum cultum, non ab hominibus, sed à Diabolo cumprimis fuit, & est.

Consenserunt quidem omnes Gentes in eum cultum, neque consenserunt sine aliqua ratione, & sine probabilibus argumentis (semper enim idololatrae habuerunt quo suas tuerentur idololatrias) sed huiusmodi rationes omnes Diabolus afflarat illorum mentibus suo venenato spiritu. Est enim princeps non solum aliorum daemonum, sed etiam illius pessimi spiritus & afflatus, quo omnes quidem in suam seruitutem pertrahere conatur, sed efficax non est, nisi in contumacibus.

Quare discamus omnes inspirationes, afflatus, rationes, quae in humanam mentem immittuntur, pugnant cum verbo Dei, vtut probabiles & speciosae sint, omnes item consensiones in ea, quae damnantur in sacris literis, omnia consilia, omnesque Synodos, in quibus aliquid contra verbum Dei definitur, vtut catholice fuerint & oecumenice, omnes inquam, ad hanc partem quod attinet esse ab hoc principe potestatum huius aëris, & huius venenati spiritus, quo omnes impij afflantur, & ducuntur: Dixi ad hanc partem quod attinet, quia non de omnibus Synodis loquor, & de omnibus, quae ibi definita sunt, sed κατὰ τὴν, nempe quoad illa quae contra verbum Dei fuerunt definita.

3. Tertio loco, quò melius explicet Apostolus, quanta sit miseria illius status, in quo degunt impij antequam per Christum liberentur, nonnulla de diabolis, quorum facti sunt mancipia, tradit, & praesertim quanta sit illorum potentia: quae omnia, sicut Apostolus facit: Sic etiam ego breuiter indicabo & percurram, aliàs Deo volente, fusius explicaturus. Sunt autem haec.

1. Primùm, inter ipsos Cacodaemones, esse gradus & ordines. Etsi enim sint & vocentur ἑξουσίαι, illæque innumerabiles, rectoresque mundi, vt est Eph. 6. Vnum tamen statuit omnium principem Apostolus, dicendo: κατὰ τὸν ἄρχοντα, &c. Et hunc omnes Satanam vocant. Neque verò, quod dicimus de ordinibus etiam inter Demones, debet videri mirum: quando

omnia, quae à Deo sunt, ordinata sunt. Non est enim Deus confusionis, sed ordinis. Omnis autem ἐξουσία à Deo est. Itaque non dubito, quin & inter bonos & inter malos angelos, certi sint ordines, distinctaque ministeria: quemadmodum è sacris literis liquet, vt hic, item cap. 6. 1. Cor. 15. Col. 2. Dan. 10. & 12. & alibi. 2. Secundò, habemus de magna ipsorum autoritate, & potentia, quando omnes vocantur ἐξουσίαι, Eph. 6. & hic. τῆς ἐξουσίας enim dixit, pro τῶν ἐξουσιῶν, vt supra dictum est, & de quibus infrà cap. 6. id quod magis facit ad demonstrandam magnam illorum aduersus nos potentiam: quando omnium potestates ita aduersus nos vnitae sunt, vt sint ceu vna omnium potestas: Omnis autem vis vnita, vt etiam Philosophi docent, fortior est seipsa disgregata.

3. Tertiò habemus, de loco, vbi habitent, & vnde nos tentent, nosque adorianur: in aëre; ideo ait, *Iuxta principem potestatis aëris*: Et cap. 6. vocat principes & potestates tenebrarum huius seculi, spiritualesque malitias, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: vbi illa vox accipi non potest, nisi de coelo hoc aëreo, paracùm è coelo Beatorum eiecti fuerint (vt docet Petrus) in tartarum [2 Pet. 2.]. Quamplurimos tamen in aëre hoc esse, inde nos obseruare, tentare, inuadere animalia, & homines: excitare tempestates: multa denique mala hominibus dare, certum est ex historia Iobi, ex historijs Euangelistarum, & ex quotidiana experientia: quae confirmant id, quod hîc Apostolus scribit, &c. 6. Totum autem hoc factum & ordinatum est à Deo: partim vt per eos electi exerceantur in fide, in patientia, in pugna spirituali, partim vt sint ministri iustitiae diuinae in puniendis sceleribus mundi.

Vocat igitur potestates aëris, non quòd sint substantia sua, aereae, sed quòd habitent & dominantur in aëre hoc, ministri tamen Dei, diuinorumque iudiciorum executores.

Quaerunt interpretes, quando, & vnde Satan acceperit [page 111] hunc principatum, vt esset princeps huius aëris, & omnium potestatum, quae sunt in aëre: respondent Scholia, & Chrysostomus, illum accepisse à Deo, & quidem ante peccatum, post peccatum verò, eo principatu non fuisse spoliatus. ἄρχων γὰρ αὐτῶν (inquit Oecumen.) πρὶν πέσῃ, ἄρχει καὶ μετὰ τὸ πεσεῖν. Ambrosius verò ait, Satanam hunc principatum sibi vsurpasse.

[Diabolos esse Spiritus. 4. *Quartò*, Si quod sequitur, τοῦ πνεύματος, appositue accipias, vt volunt Graeci, & plerique omnes Latini, bifariam possumus legere, primò vt nomen τοῦ πνεύματος, referatur ad praecedentem genitium ἀέρος, & nomen aëris συνεκδοχικῶς accipiat, continens scilicet pro contento: Et sic Scholia: ἄρχων ἐστὶ τοῦ ἀέρος τοῦ πνεύματος, τουτέστι τοῦ ὄντος ἐν τῷ ἀέρι πνεύματος. Secundò ita, vt πνεύματος referatur ad primum genitium τῆς ἐξουσίας, & sicut singulare nomen ἐξουσίας, sic singulare etiam nomen πνεύματος pro plurali accipiat; vt sit sensus; Satanam esse principem potestatum in aëre habitantium, quæ sunt πνεύματα. Vtram sequamur interpretationem, discimus ex hoc loco, quid sint Cacodaemones, nempe spiritus substantiaequæ spirituales, quales sunt & anime nostrae. Non desunt tamen, qui velint eos esse spiritus aëreos, id est, habentes corpuscula aërea, id est, subtilissima: Qua de re iam non est disputandi tempus [Vide lib. 1. De operib. Dei.]. Simpliciter dicimus esse spiritus, etiamsi non sint tam simplices spiritus, atque Deus est Spiritus simplicissimus. Sic omnes eos vocant spiritus, incorporeasque substantias.

Si verò nomen Spiritus accipias, quod magis placet, pro afflatu, quo Diabolus spirat, & insufflat in mentes hominum impias cogitationes. consilia, desideria; & subintelligas καί, vt sit sensus, Satanam esse principem non solùm potestatum in hoc aëre existentium, sed principem etiam primariumque autorem illius spiritus, id est, afflatus quo mundus adducitur, vt resistat Euangelio, colatque idola, aliaque admittat scelera: discimus ex hoc loco, modum quo Cacodaemones nobiscum agunt, nos tentant, & in hominibus operantur: nempe non vi, sed suis afflatibus, non cogendo voluntates, sed suadendo, & si possint, persuadendo, excitatis hominum impijs cogitationibus, desiderijs, affectibus, &c. Sicut enim initio cum Eua egit Satan apertis verbis, eam ad inobedientiam instigans: sic nunc agit suis venenatis afflatibus: Sicut contra, Deus etiam per suum Spiritum sanctum afflare solebat Prophetas: & omnibus pijs inspirat pias ac sanctas cogitationes & desideria, mouetque ipsorum voluntates ad obediendum Euangelio Satan ergo, vim non facit voluntati nostrae, sed insufflando suum spiritum agit nobiscum. Homines verò sponte, & ἐκόντες (vt Scholiastes ait) assentiuntur, ac resistunt.

5. *Quinto* discrimen actionum Diaboli in pijs, & impijs docet Apostolus: nimirum tametsi magna sit potentia Diaboli, & omnium Diabolorum, & suis

venenatis afflatibus omnes studeant. inficere: illos tamen non in omnibus efficere quod cupiunt, sed tantum in contumacibus, & in ijs qui non sinunt sibi persuaderi à Spiritu sancto, quae tradita sunt à Deo in sacris literis. Hi enim propriè sunt filij ἀπειθείας. Hoc est quod Apostolus alibi explicat, dicens: *Aduentum An tichristi futurum ex efficacitate Satanae, cum omni potentia & signis & prodigiis mendacib. & cum omni fraude iniustitiae*: [2 Thes. 2.] Sed in quibus? in omnibus ne? minimè verò, sed in iis qui pereunt (inquit Apostolus) quid ita? *Pro eo quod amorem veritatis non receperunt* (inquit) *vt salui fierent: propterea mittet illis Deus efficacitatem deceptionis, vt credant mendacio: vt damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniustitia*. Locus ille, explicat hunc praesentem, vbi dicit, hunc spiritum, seu Satanam hoc suo afflatu efficaciter operari, in filiis ἀπειθείας.

Notandum igitur, duplices esse Satanae operationes, alias inefficaces, alias efficaces, & ἐνεργητικὰς, vt hîc loquitur Paulus. Prioris generis sunt illae, quibus initio quemuis tentat & ad malum sollicitat: à quibus ne electi quidem excipiuntur. Tentantur enim & ipsi ab hoc tentatore: imò etiam Christus. Aliae sunt quibus efficit quicquid vult, Deo permittente, ac proinde quibus dicitur ἐνεργειν: Sed in quibus nam in filiis ἀπειθείας. Postquam enim quis primis illis flatibus Diaboli & tentationibus assensus est ex animo, reiectis Spiritus sancti monitis, Satan fit in illo efficax, eumque impellit quocunque vult, nisi Deus pro sua gratia conatus Satanae impediat. Sic ludam postquam victus fuit à spiritu auaritiae, & ingressus esset in illum Satan, impulit ad prodendum Christum, & postea etiam ad se suspendendum. Sic Ananiam & Sapphiram, vt mentirentur Spiritui sancto: sicut docet Petrus in Actis ca. 5. Sic quibus persuasit, vt abnegent Euangelium: postmodum eos impellit, vt nos persequantur. In ijs enim iam regnat Satan, & ideò efficaciter in eis operatur, ab vno peccato illos in plura & grauiora pertrahens pro sua libidine. Ac de efficacitate Satanae satis.

Quid verò sibi vult illa particula, Nunc? *qui ac menunc* (inquit) *efficaciter operatur in filiis contumaciae*. An non & aliàs iam inde ab initio mundi idem fecerat, & quidem in ipsis etiam Ephesijs? omnino: cur ergo hanc efficacitatem restringit ad illud tempus, quo haec scribebat, dicendo nunc?

Respondeo, non restringit: sed indicare voluit, nunc quidem non amplius illum efficaciter operari in Ephesijs conuersis, quia Spiritus sanctus iam in illis est efficax: sed tamen etiamnum operari efficaciter in alijs non conuersis, & contumacibus: ac proinde non debere Ephesios mirari quòd adhuc multi Pseudoapostoli & alij resistant Euangelio, quod ipse Paulus praedicabat, vrgentes opera legis, quid ita? quia Satan etiam nunc in multis, non minus, quàm ante in ipsis Ephesijs efficaciter operatur, in omnibus scilicet contumacibus. Gratias agant ipsi Deo, quòd liberati sint illa tyrannide Satanae: & orent pro illis, in quibus adhuc efficax est. Ergo nunc posuit, pro etiamnum.

Hactenus [page 112] probauit Apostolus Ephesios olim (id est ante conuersionem ad Christum) fuisse verè mortuos per peccata: Ratio; quia in illis ambulant: & caussam huiusce rei duplicem attulit; Vnam quia cum viderent, totum mundum sic viuere, & talem sequire religionem, ipsi quoque catholico illo consensu, vetustissimaque consuetudine commoti, putarunt se non malè facturos, si idem vitae genus, eandemque religionem sequerentur: Alteram caussam, quia cùm iam essent facti mancipia Satanae, praepotentis & vicini principis, in hoc scilicet aëre regnantis, secundum eum, id est (vt benè explicant Scholia) κατὰ τὴν βουλὴν καὶ θέλημα αὐτοῦ, viuuebant, & omnia agebant. Vnde sequitur, illam catholicam totius mundi consuetudinem in colendis idolis, fuisse à Satana.

Nunc igitur idem probat etiam de omnibus Iudaeis, nimirum se quoque & reliquos Iudaeos iam sanctos, fuisse non minus mortuos in peccatis, quàm Gentiles. Ait ergo:

[Ver. 3] Inter quos (ἐν οἷς, scilicet υἱοῖς τοῖς ἀπειθείας) & nos omnes conuersati sumus olim, in concupiscentiis carnis nostrae, facientes voluntates (desideria) carnis, & cogitationum seu mentis (id est, quae libebant carni & menti) Et eramus natura filij irae, sicut & reliqui.

Tria sunt membra huius versus.

1. Primò, propositionem, quam de Gentibus proposuerat, & probauerat, ad se quoque, & ad reliquos ex Iudaismo, accommodat, & quidem verbis etiam durioribus, quàm de Gentibus locutus fuerat. Illos enim non dixerat apertè

fuisse filios τῆς ἀπειθείας, sed tantum mortuos fuisse per peccata, & ambulasse in peccatis: de se autem, & reliquis Iudaeis ait, omnes fuisse de numero filiorum τῆς ἀπειθείας: Ac proinde non minus mortuos fuisse in peccatis, quàm fuerint Gentiles.

2. Altero membro, probat se fuisse tales, ab effectis: nam (inquit) in concupiscentijs carnis nostrę versati sumus (nempe pertinaciter) facientes, quae carni, & cogitationibus nostris placebant.

3. Tertiò, à peccatis actualibus, transit ad originale, quo confirmat propositionem tam de Gentibus, quàm de Iudaeis: omnes scilicet fuisse peccatores, eoque mortuos, iam inde à natiuitate. Et eramus (inquit) *omnes naturâ filii irae, sicut & reliqui*.

1. De primo itaque ait.

Ἐν οἷς. Hieronymus refert ad peccata, de quibus primo versu. Quidam aiunt non posse referri, quia non ait, ἐν αἷς scilicet ἀμαρτίαις, sed ἐν οἷς: quasi verò τὰ παραπτώματα, non sint neutri generis, vt illud ἐν οἷς ad παραπτώματα referri queat. Alia igitur ratio est, cur non ad peccata referenda sit haec particula, sed ad filios contumaciae: quia scilicet & nimis procul distat à voce παραπτώμασι, & melius congruit. vt referatur ad proximam dictionem, nempe, ad filios τῆς ἀπειθείας. Voluit enim Apostolus ostendere, & se, & alios Iudaeos suam naturâ, non minus fuisse impios & peccatores, rebellesque, quàm fuerint ipsi Gentiles.

Quòd verò ait se, & alios conuersatos fuisse olim inter filios τῆς ἀπειθείας, non loquitur propriè de externa & corporali conuersatione: neque enim Iudaei familiariter versabantur cum Gentibus: deinde talis conuersatio non statim euincit, te quoque talem esse, qualis ille quo cum versariis: Apostolus autem voluit dicere, se & reliquos Iudaeos, non minus fuisse peccatores, quam fuerint Gentiles: Conuersationem igitur, intellige similem vitae cursum, sicut postea explicat dicendo: *In concupiscentiis carnis nostrae, facientes, &c.* vt sit sensus, Eramus & nos ex numero filiorum τῆς ἀπειθείας, eramus & nos in eodem albo, pertinaciter ambulantes simul cum illis in peccatis, & concupiscentijs carnis nostrae. Ambulare enim inter filios contumaces, in concupiscentijs carnis suae, nil aliud est, quam vnà cum contumacibus esse in

suis concupiscentijs & peccatis contumacem, Deoque in obedientem, atque rebellem. Haec igitur est propositio Apostoli, de omnibus in vniuersum Iudaeis (excipitur solus Christus, mundi seruator) omnes fuisse filios contumaciae, in obediētes Deo, & rebelles, non minus quàm reliquae Gentes: sicut etiam concludit ad Romanos.

Sed hîc oritur quaestio, quomodo Apostolus exaequet Iudaeos omnes ipsis Gentibus, non κατὰ τὸ, sed simpliciter dicendo, se omnes fuisse tam filios ἀπειθείας, quàm etiam fuerint Gentiles? Praesertim cùm Gentibus obiecerit cumprimis communem totius mundi errorem, & idololatriam, à qua alieni erant Iudei. Nam post reditum è Babylone, idola non coluerunt, sicut Gentes. Et tamen verissimum scripsit Apostolus.

1. Respondeo primùm, naturâ omnes ex aequo fuerunt filij τῆς ἀπειθείας, sicut postea explicat tertio membro, dicendo, se omnes fuisse filios irae, sicut & reliqui omnes fuerunt. Proinde omnes naturâ fuerunt tam idololatrae, quàm auari, quam superbi, hoc est, omnes ad omnia vitia ex aequo propensi, etiamsi non omnes actu eadem perpetrarint. 2. Secundò, ad actiones etiam quod attinet, omnes ex aequo fuerunt filij ἀπειθείας, contumaces, rebellesque in Deum: intellige semper ante conuersionem ad Christum: non quòd omnes in iisdem planè peccatis ambularint, sed quòd omnes ex aequo in obediētes fuerint Deo, apostatae, voluntati eius rebelles, & contra eius mandata ambularint: ita vt licet idola non coluerint externa, qualia Gentes, Iudaei, interna tamen coluerint, suos scilicet affectus, suas voluptates, sua iudicia. [Col. 3.] Apostolus ait etiam auaros, esse idololatras: Et deditos ventri ac voluptatibus, esse idololatras, quorum Deus, inquit, venter est. [Tit. 1.] Cùm igitur omnes Iudaei, ante conuersionem & regenerationem, suos secuti sint affectus, auari, [page 113] voluptatibus dediti, coluerintque animo aurum, & ventri tanquam suo Deo seruierint: proinde fuerunt idololatrae aequè, atque etiam Gentiles, licet non eadem specie idololatriae infecti fuerint. Omnes in summa seruierunt Satanae, non Deo, suis concupiscentijs, non autem voluntati Dei: & hac ratione omnes ex aequo peccarunt, & rebelles fuerunt suis etiam actionibus. *Simili explicaborem.*

Si centum viri deficient à suo principe ad hostem, illique seruiant, licet diuersis officiorum generibus: an non ex aequo verè dicentur esse rebelles, & suis actionibus ex aequo peccare contra suum naturalem principem? Ita hîc

dicendum est; quod confirmatur hac ratione: In peccato enim actuali duo sunt, auersio à Deo, & conuersio ad creaturam, vt piè docuit Augustinus. Cùm igitur omnes tam Iudaei, quàm Gentiles, ante regenerationem, ex aequo recesserint à Deo, & ex aequo accesserint ad creaturas amandas, & colendas: Constat omnes ex aequo, actualibus etiam peccatis, filios fuisse ἀπειθείας: quia omnes ex aequo auersi à Deo, & conuersi ad creaturas, pertinaciter peccarunt. Hoc igitur est quod explicat Apostolus, propositionem suam confirmans hoc altero membro, *In concupiscentiis* (inquit) *carnis nostrae* (scimembra, licet versati sumus) *facientes voluntates carnis & cogitationum*.

Alijs verbis idem dicit de Iudeis, quod antea de Gentibus: hi ambularunt in peccatis, Iudaei versati sunt in concupiscentijs carnis, facientes quae carnis sunt. Haec autem duo idem sunt. Pariter ergo Iudaei cum Gentibus filij sunt ἀπειθείας.

Et duo dicit: Primùm, concupiuisse, deinde concupiscentijs istis obediuisse. Argumentum autem tale est.

Nos omnes versati sumus in concupiscentijs carnis nostrae, & fecimus voluntates carnis & cogitationum.

Ergo non minus nos ambulauimus in peccatis, quàm Gentes: Eoque non minus fuimus mortui in peccatis, quàm Gentes.

Hîc explicandae sunt quaedam voces, quarum cognitio necessaria est ad huius contextus intelligentiam. Prima est vox concupiscentiae.

Nomen hoc significat duo, Primùm, ipsam totam corruptam naturam: Rom. 7. *Concupiscentiam nesciebam esse peccatum*, (id est, ipsam naturae corruptionem) *nisi lex dixisset, non concupisces*. Vocatur autem concupiscentia ab effectu, quo se, qualis sit, declarat. Nam concupiscendo semper res malas, repugnantesque legi Dei, se quoque malam esse legique Dei aduersantem, eoque peccatum, manifestè ostendit.

Deinde accipitur pro appetitionibus huius corrupte naturæ, seu peccati in nobis habitantis: sicut Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius*: id est, appetitionibus & desiderijs.

Sic etiam accipit hîc Apostolus, cùm ait, se ambulasse in concupiscentijs carnis. Quas concupiscentias, mox vocat voluntates carnis & cogitationum: vt ostendat, actiones etiam mentis esse corruptas, ipsamque mentem corruptam.

Nomen etiam carnis, duo significat: Pri mùm, totam corruptam naturam, id est, totum hominem corruptum. Sic Ioh. 3. “Quod natum. est ex carne, caro est.” & opponitur spiritui, id. est, naturae regeneratae. Et hoc sensu etiam Apostolus accipit hic, quando ait, “in concupiscentijs carnis:” id est, totius corruptae naturae.

Deinde pro crassiore parte huius corruptae naturae, quae consistit in corpore, animaue vegetante, & sentiente vsurpatur. Et sic capitur ab Apostolo hic, cùm ait, facientes τὰ θελήματα carnis & cogitationum: id quod alij dicunt, quae lubebant carni, & menti. Corruptam enim naturam in duas distinguit partes: in crassiorem, quae totam partem animalem, irascibilem, & concupiscibilem; & omnes carnis affectus complectitur: Et in spiritualiorem, hoc est, in mentem, quam nomine cogitationum significat, & à præcipua eius operatione intelligi voluit.

Vtrique autem parti dat θελήματα quae in parte superiori considerata, propriè vocantur voluntates, in inferiori autem, appetitus, & desideria. Quo ex loco liquidò apparet, ipsam quoque mentem & corruptam esse, & nomine carnis saepe intelligi in sacris literis. Locus etiam est ad Col. hoc idem confirmans: vbi mentem carni tribuit, dicendo: [Col. 2.] Ne quis vobis palmam interuertat, &c. frustra inflatus à mente carnis suae. Ex hac vocum concupiscentiae, & carnis explicatione, clarius apparet, quid sibi voluerit Apostolus, cùm dixit, Iudaeos etiam omnes versatos fuisse vnà cum filiis contumaciae in concupiscentijs carnis suae, fecisseque voluntates carnis, & cogitationum. Ita constat ab effectis, omnes etiam Iudeos ante conuersionem, fuisse non minus filios τῆς ἀπειθείας, eoque mortuos in peccatis, in quibus ambularunt, quàm Gentiles: etiamsi aliquot externis actionibus & idololatrijs dissimiles fuerint Iudaei, Gentibus ipsis.

Sed dices, quomodo Paulus se inter eos commemorat, qui fecerunt voluntates carnis: cùm testificetur, se in Iudaismo, secundum iustitiam quae est ex lege, fuisse irreprehensilem? Phil. 3. 6.

Respondeo: Etiam si à crassioribus illis carnis peccatis, scortationibus, furtis, ebrietatibus, homicidijs sese abstinuit: an non tamen fuit blasphemus in Christum, persecutor Ecclesie Dei, sanguinarius, grassator? Haec de se testificatur, ad Galatas & Timotheum. Vnde autem haec scelera? à concupiscentijs carnis, & cogitationum? Fecit igitur & ipse voluntates carnis, & cogitationum carnalium.

Obseruanda verò est ista totius hominis corrupti in duas partes distinctio, in carnem, id est, corpus animatum, & in cogitationes, id est, mentem, in qua sunt cogitationes, & voluntates. Intelligamus ergo totum hominem esse corruptum, mente ac corpore: parte superiori & inferiori, vt vocant.

[Membra] 3. Subdit [page 114] tertium membrum, quo propositionem generalem de omnibus hominibus tam Iudaeis, quàm Gentilibus confirmat dicendo: *Et eramus omnes naturâ filij irae*, sicut & reliqui. Omnes nos (scilicet fideles Iudaei) eramus, sicut & reliqui, nempe homines omnes inter Gentes, & Iudaeos.

Duo dicit, primùm omnes fuisse filios ire, secundò, idque naturâ.

Hic primùm explicanda est vis locutionis: deinde res considerandae, quas concludit Apostolus.

1. De locutione.

Cùm dicit irae, intelligere debemus diuinae, sicut Rom. 9. vasa irae.

Irae autem Dei nomine duo significantur, aliquando voluntas eius iustissima vliscendi puniendique peccata. Et inter attributa proprietatesque diuinas connumeratur: atque hoc sensu minimè hîc accipitur: aliquando effectum illius irae, inprimis verò vitio, condemnatio morsque aeterna

Filius autem talis irae quisnam dicitur esse? seu quidnam est, esse filium irae?

Quidam aiunt, nil aliud esse, quàm talem esse, id est, impium, cui Deus meritò irasci debeat: nemini autem irascitur Deus, nisi propter peccata: Esse

igitur filium irae, nil aliud hoc sermone significare, quàm esse reum aeternae condemnationis & mortis propter peccatum.

Aliquid dicunt, sed non totum. Adamus enim post & propter peccatum factus fuit obnoxius irae diuinae, & reus aeternae mortis: non tamen dici verè potest filius irae. Hac enim locutione significatur ille, qui talis natus est, & sua natura est talis. Explico, & è sacris literis confirmo. Norunt omnes & fatentur esse Hebraismos, dicere aliquem esse filium perditionis, id est, perditum: filium contumaciae, id est, contumacem: filium olei, id est, pinguem, filium maledictionis, & irae, id est, maledictum, & irae Dei obnoxium. Hoc est omnibus notum. Sed quae est vis huius locutionis, & vnde deducta?

Respondeo, inde deducta est, quòd quicumque nascitur ex aliquo, is eius naturae particeps nascitur, cuius est ille ex quo nascitur. Exemplum, qui nascitur ex homine, homo est: qui ex equo equus est. Ideo nomine filij hominis, intelligitur ille, non qui simpliciter est homo, vt Adamus, sed qui ex homine natus est: Adamus fuit homo factus, sed non natus: eoque homo, sed non filius hominis. Hebraei in hac locutione, exempli caussa, Tu es filius contumaciae, filius peccati, &c. statuunt contumaciam tanquam parentem: te autem tanquam ex ea natum. Non significat igitur simpliciter, Te esse contumacem, sed natum contumacem: non simpliciter peccatorem, sed natum peccatorem: non simpliciter perditum, sed natum perditum, &c. Sicut etiam Te esse filium irae, id est, maledictionis diuinae: significat non simpliciter, te esse maledictum, aut aeternae mortis reum, sed natum esse maledictum, & aeternae damnationi obnoxium. Haec est vis huius locutionis: Et hoc propriè significat, quod dixi. Hinc apparet Adamum & Euam, factos quidem fuisse obnoxios irae diuinae propter peccatum admissum: sed non (propriè loquendo) fuisse filios irae: nos verò omnes, filios esse irae, quia tales nati sumus. Ideo Apostolus, volens hoc indicare, adiecit maioris explicationis caussa, Naturae nomen: dicendo: *Omnes eramus natura filij irae*. Sic de sua vinea dixit Deus apud Ies. [Ies. 5.] Eam fuisse plantatam in cornu filio olei, id est, in colle sua naturâ pinguissimo, quasi nato ex oleo. Haec de prima phrasii: nunc de voce naturae. Ait, Naturâ omnes esse filios irae.

Primò, Natura accipitur aliquando pro substantia rei & essentia. Hoc sanè modo, nomo, essentia & substantia, quam acceptam à Deo adhuc retinet, non est filius irae: quia ipsa non est peccatum in se, licet peccato infecta sit.

Secundò, pro principio motus & quietis in vnaquaque re, siue illud principium sit substantia, siue naturalis qualitas, & proprietas rei. Hoc modo prima hominis natura fuit optima: in ea enim Deus vim impresserat mouendi ad bonum, ad Deum cognoscendum, amandum, & colendum, eoque ad salutem aeternam. Sed haec natura perijt peccato Adae: & successit pessima qualitas, qua fit vt non possimus moueri nisi ad malum, id est, aduersus Deum, & aduersus Christum eius: Et non quiescere, nisi à bono.

Haec pessima qualitas, à flatu serpentis profecta est: & est ceu venenata pestilentia, qua totus homo anima & corpore infectus est: homo inquam manens idem substantia atque essentia, veneno huius prauae qualitatis infectus est, vsque adeò vt non possit nisi sibi similia efficere, quia ab hac ad omnes actiones mouetur. Inde enim omnes concupiscentiae in carne omnes prauae cogitationes in mente, pessimi ac distorti affectus in corde, denique voluntates impię in facultate volendi, liberoque arbitrio.

Hanc igitur naturae totius corruptionem, quam alibi quoque vocat concupiscentiam, hic appellat Apostolus naturam, principium scilicet omnium malarum actionum & motuum, tam internorum, quàm externorum. Ac proinde cùm sit ἀνομία, efficit nos filios irae.

Tertiò, Natura etiam nonnunquam sumitur pro natiuitate: sic dicta à nascendo Latinis, sicut Graecis φύσις, ἀπὸ τοῦ φύεσθαι, vt docuit, Aristoteles in Metaphysicis. Quia verò omnes concipimur in peccatis, & iniquitatibus, vt ait Daud, nascimurque impij ac inimici Dei, eoque dignissimi quibus Deus irascatur, poenamque infligat aeternam [Psal. 51.]: idcirco hoc etiam sensu dicimur esse filij ire, natura, hoc est, [page 115] iam inde à nostri conceptione, & natiuitate, & quia nati sumus ex Adamo, inque illo peccauimus: ita nati sumus filij irae omnes, etiam infantes, quia & ipsi nascuntur ex patre rebelle: Eoque eodem reatu constricti, quo & ipsi. Nunc expensa phrasi Apostolica, facile est intelligere res, quas his paucis verbis docere nos voluit. Sunt autem hae

[Doctrina.] 1. Omnes homines, ex Adamo communi & naturali propagatione prognatos, nasci reos aeternae mortis, quae nomine irae significatur. Hoc enim immediatè significabat haec locutio, esse filios irae naturâ. Et ita cùm in primo versu locutus propriè fuerit de primamorte, nempe spirituali animae:

hic propriè loquitur de tertia, id est, de morte aeterna, complectens tamen & secundam, nimirum corporis. Nam & ipsa, ab ira diuina est.

[Et nasci in peccato.] 2. Quia verò Deus nemini irascitur, & multò minus aeterna plectit damnatione, nisi propter peccatum: idcirco secundo loco, & ex consequenti docet, omnes concipi & nasci in peccato: quia non nisi à peccato mors est: est enim stipendium peccati. Hoc autem est peccatum originale.

[Natura peccatrix.] 3. Omnes homines, cùm nascuntur, talem naturam & in animo, & in corpore secum trahere, quae tota peccatum sit, Deoque inimica: ratio, quia natura, id est, non solùm quia ex tali parente rebeli nascimur, & cuius rebellio nobis imputatur, sed etiam naturâ, id est, propter naturam hanc quam nobiscum trahimus, nascimur filij irae.

Haec tria expressè tradit Apostolus hac breui sententia, *Eramus omnes natura filij irae*. Fusiùs autem explicat alibi, & praesertim ad Roman. 5. De primo & secundo; *Per vnum hominem, peccatum intrauit in mundum, ac per peccatu mors, & ita in omnes homines mors transijt, in quo omnes peccarunt, &c.* Item, Ex vna offensa reatus introijt ad condemnationem. De tertio, prudentia carnis inimicitia est aduersus Deum, Roman. 8. Ex illis autem tribus breui sententia ab Apostolo expressis, sequuntur alia necessariò: [Porismata] vt, 1. Infantes igitur in peccatis concipiuntur, & inimici Dei nascuntur: quia omnes nascimur filij irae. 2. Item, Damnantur ergo & ipsi aeterna morte, nisi per Christum liberentur.

3. Item, Naturae igitur corruptio, seu concupiscentia in nobis habitans, suâ naturâ peccatum est, aeterna morte dignum.

4. Item, Nihil igitur valet homo ad bonum Deo gratum, sed tantùm ad peccandum, si totus homo & mente, & corpore ita corruptus est.

Proinde mirum non est, quòd Augustinus contra Pelagianos, praeter alia testimonia sacrarum literarum, hanc sententiam perpetuò vrget, ad probanda haec omnia, quae Paulus conclusit, & quae nos inde deduximus. Atque haec satis de ijs Apostoli verbis.

Ad summam verò quod attinet horum trium versuum, abundè & perspicuè probauit Apostolus, omnes homines tam Iudaeos, quàm Gentiles, mortuos fuisse per peccata, tùm in quibus concepti & nati sunt, tùm in quibus omnes ambularunt: mortuos inquam primùm spirituali morte, deinde aeterna, quia illius facti sunt rei, id quod significatur nomine filiorum irae: vt iam taceamus de morte corporis.

Ita docuit Apostolus, & quae sint praecipua peccati effecta, & quae etiam caussae.

Effectum primum, est mors spiritualis, de qua versu primo. Secundum, seruitus Diaboli, de qua versu secundo. Tertium, aeternae mortis reatus, de quo versu tertio

Caussas etiam tres indicauit: Prima, est mundus suo exemplo, & moribus, de qua versu secundo. Secunda, Satan suo flatu, de qua versu secundo. Tertia, est peccatum originale, in nobis inhabitans, seu natura corrupta, quae & caro & concupiscentia appellatur: de qua versu tertio. Haec (vt obseruauit Augustinus) & poena peccati est (primi scilicet peccati, nempe Adami, quod nobis quoque imputatur) & peccatum (quia ἀνομία est) & causa aliorum peccatorum.

Ad has tres, quas breuiter indicauit Apostolus, reliquae omnes referuntur, si quae assignari possunt.

De caussis igitur peccatorum, haec pauca notentur.

Caussarum peccati, aliae sunt internae, aliae externae: seu, aliae intra nos, aliae extra nos.

Externarum aliae sunt visibiles, aliae inuisibiles: seu, aliae sub sensum cadunt, aliae non cadunt.

Visibiles sunt cumprimis aliorum exempla: quibus coniunguntur verba, confilia, adhortationes, diuturnae consuetudines, &c. Vel vt vno verbo dicam, est mundus iste suis exemplis, consuetudinibus, adhortationibus, consilijs,

beneficijs, blanditijs. Hanc significauit cùm dixit, vos ambulastis in peccatis, κατὰ τῶν αἰῶνα huius mundi, seu, vt solet viuere mundus.

Inuisibiles externae, sunt Cacodaemones, qui suis flatibus homines ad peccatum excitant; hos significauit dicendo: iuxta principem potestatis aëris, & spiritus efficaciter agentis, &c. Hae omnes caussae extra nos sunt.

Internae duae sunt: Vna, quae ad peccandum excitat, impellitque: haec est concupiscentia nobis innata: de qua versu tertio: In concupiscentijs carnis nostrae: facientes voluntates carnis & cogitationem. Altera est, quae peccatum efficit, & ideo efficiens caussa dicenda est. Haec est voluntas nostra. Haec enim efficit, vt ambulemus in peccatis, & faciamus voluntates carnis, sicut loquitur Apostolus. Haec de caussis peccati.

Quorsum [page 116] verò haec omnia? Vt probè agnito malo nostro, statuque miserrimo, in quo eramus per Adamum primum, eò melius percipiamus etiam beneficium Christi.

2. Sequitur ergo secunda particula, tribus alijs versibus comprehensa: in qua beneficium Christi explicatur, per quem, ablato peccato, viuificati sumus, a Patre, ex gratuita eius misericordia, propter summam charitatem, qua nos amauit in Christo.

[Ver. 4.] Sed Deus (inquit Apostolus) *qui diues est, in misericordia, propter multam charitatem suam qua dilexit nos,*

[Ver. 5.] Etiam cùm essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos vna cum Christo (per gratiam estis seruati) simulque cum eo resuscitauit.

Potuisset vno verbo dicere, Sed Deus nos mortuos gratis viuificauit & seruauit in Christo: verum non contentus simplici & nuda doctrina, sed volens nostra afficere corda erga Deum & Iesum Christum, beneficium hoc amplificauit, & patheticis verbis mirabiliter illustrauit: ostensis caussis omnibus nostrae salutis, & praecipuis eiusdem capitibus explicatis: suo exemplo docens nos, & praesertim verbi ministros, quomodo debeant se gerere in praedicanda Dei gratia, & beneficijs Christi: & quò spectare debeat

nostra oratio, eò nimirum, non tantùm vt doceamus, sed vt animos auditorum afficiamus amore Dei & Christi, & vt praebeant se illi gratos.

Priori autem loco, analysin totius huius contextus, hoc est, horum trium versuum tradam, deinde singulos percurram.

[Analysis textus.] Resoluitur totus hic contextus in quatuor capita: in caussas nostrae salutis verè efficientes: in caussas impulsivas, vnde nam Deus ad nos seruandos permotus fuerit: in conditionem eorum, quos seruauit: & in summam beneficiorum Dei & Christi, nobis praestitorum.

1. Causa prima efficiens ac viuificans, est Deus: de hac versu quarto,

Causa altera efficiens & proxima, est Christus, vt caput nostrum, à quo vita fluit & salus in membra: de hac versu quinto & sexto. Christus enim nos sibi insitos per Spiritum suum, viuificat.

2. Causae impulsivae tres numerantur, quarum vna pendet ex alia.

Prima & proxima, est misericordia Dei magna & copiosa. Ideo enim viuificauit nos Deus, quia ceu sensu miseriae nostrae tactus, misertus est nostri. De hac v. 4.

Secunda, est dilectio, qua nos in Christo ab aeterno dilexit, eo scilicet dilectionis genere, de quo Rom. 9. Iacob dilexi, &c. Haec causa est prioris. Ideo enim misertus est nostri Deus, quia diligebat nos: quemadmodum & nos, eorum maximè misereri, & misericordiae officia illis praestare solemus, quos maximè diligimus: Et ideo misericordia erga illos afficimur, quia diligimus. De hac v. 4.

Tertia causa impulsiva, est Gratia, id est, fauor ille gratuitus, quo placuit Deo nos praealij complecti, & eligere in filios, in Christo. Haec causa est secundae. Ideo enim diligit in Christo, quia nos singulari gratuitoque fauore, in eodem Christo complexus est: de hac ver. 5.

Omnes autem hae caussae, misericordia, dilectio, Gratia Dei, omnia nostra excludunt. merita. Haec de caussis impulsivis.

3. Quos nam verò, & quales viuificauit ac seruauit?

Nos (inquit) nempe omnes tum Iudaeos, tum Gentiles, quos pro sua Gratia ab aeterno elegerat in Christo, dilexerat, & vasa fecerat misericordiae: ij sunt, quos seruauit & seruat. Sed quales? Cùm essemus natura filij irae, filij contumaciae, mancipia Sathanae, cùm ambularemus in delictis & peccatis, denique cùm essemus mortui, eoque nihil possemus ad nostri viuificationem praestare, imò ne quidem de illa cogitare, ipse tamen viuificauit nos. Hęc est conditio eorum, quos viuificat & seruat. Atque haec etiam particula, omnia excludit merita nostra.

4. [Beneficia Christi duplicia.] Effecta gratiae, & beneficia Christi, duplicis sunt generis: alia, quae in hac vita, reipsa percipiuntur; alia, quae in futuro seculo perfectè & plenè percipienda certò expectantur: cùm tamen ea etiam nunc, sed in Christo capite perceperimus.

1. Primi generis beneficia, significantur nomine viuificationis, v. 5. Et ad hanc pertinent. iustificatio & regeneratio. Iustificatione tolluntur peccata, quae sunt caussa mortis tum spiritualis, tum corporalis, tum infernalis: & imputatur iustitia Christi, quae est caussa vitae, vt non simus amplius filij irae. Regeneratione, renouatur natura nostra, per Spiritum sanctum, ne ambulemus amplius in peccatis, & vt desinamus esse filij contumaciae, ac ne faciamus amplius voluntates carnis & cogitationum nostrarum. Haec sunt primi generis: & (vt dixi) vno viuificationis nomine omnia comprehenduntur.

2. Secundi generis sunt, Resuscitatio à mortuis, & sessio in supercoelestibus locis cum Christo, qua significatur plena aeternae vitae possessio in coelis. De ijs v. 6. Haec est Analysis horum trium versuum: continens causas salutis nostrae, & summam beneficiorum Dei in Christo, & per Christum partim praestitorum, partim praestandorum.

Nunc percurro singulos versus: vt si quid praeter ea, quae sunt dicta, obseruandum sit: illud obseruemus.

[Ver. 4.] *Sed Deus, &c.* Tria sunt membra: Primum, cùm ait, sed Deus, intellige solus. Viuificatio igitur nostri, & salus, nulli vel Angelo, vel homini,

vel legi, vel operibus nostris adscribenda est, sed soli Deo. [page 117]
Alterum, Cùm ait, Qui diues est, seu cùm diues esset in misericordia. Hic fontem immediatum & proximum indicat, Vnde nostri viuificatio profluat: nempe ex misericordia Dei erga nos. Non igitur ex operibus nostris, vel vllius purae creaturae, motus fuit ad nos seruandos: sed tantùm à misericordia sua,

Quia verò non ait simpliciter, *Qui misericors est, sed qui diues est in misericordia*, duo notanda sunt: Vnum, Apostolum non loquide misericordia Dei, nisi quatenus illa sese per effecta manifestat & exerit. Neque enim Deus in suo tantùm (vt ita loquar) pectore & animo miseretur nostri: sed effectis misericordiae, suam patefacit misericordiam. Alterum est, Deum multis de caussis diuitem in misericordia vocari.

1. Primò, quia plura misericordiae effecta praestat, quàm etiam opus habeamus, nostraque miseria postulet. Certè ad remissionem peccatorum nostrorum, satis erat simplex condonatio: sed hac non contentus Deus, voluit dare Filium, qui pro nobis sua morte satis faceret: voluit dare Spirituum suum, qui nos regeneraret, & alia infinita praestitit dona: qua de re etiam dictum fuit in I. cap. vbi dixit Apostolus, vt sciatis quae sint diuitiae gloriae haereditatis illius. Meritò igitur dicitur diues misericordia.

2. Secundò, vocatur diues misericordia, quia nunquam definit misericordiae suae diuitias communicare, & illis communicandis nunquam exhauritur eius misericordia. Ij enim verè diuites dicuntur, quibus nunquam deest, vtut quotidiè multa impendant. Quia igitur misericordia Dei nunquam exhauritur, ideo Deus meritò dicitur diues misericordia.

3. Tertiò, in hoc etiam apparent diuitiae misericordiae Dei, quia qui nostri miseretur, nobis opus non habet, & miserendo nil sibi acquirit, sed nobis.

4. Quartò, Item, quia omnia, vtut grauissima peccata remittit poenitentibus omnibus: imò fidem etiam & poenitentiam donat.

5. Quintò, Item, quia remittit peccata illis, illorumque miseretur, qui sua natura sunt filij contumaces, filij irrae.

6. Sextò, denique, quia sua misericordia praeuenit nos, qui de ea nihil cogitabamus, neque eam quaerebamus: & postea semper in finem vsque prosequitur nos eadem misericordia. Ditissimus igitur in misericordia sit, oportet.

7. Septimò, Quid? quòd non solùm erga Electos misericors est, sed etiam erga reprobos, quibus & dum peccant, beneficia multa praestare non definit, & postquam peccarunt, non pro illorum meritis, poenas infligit? Vt meritò dixerit Iacobus, *Praeualet misericordia aduersus iudicium* [Iac 2.13.]. Verè igitur Deus praedicatur ab Apostolo, quòd sit diues in misericordia.

III. Tertium membrum est, vbi postquam dixit, Deum, cùm diues esset in misericordia, nos viuificasse, subdit, propter multam dilectionem, qua dilexit nos. Docet ergo, misericordiam, quam nobis praestat, à dilectione proficisci, qua nos dilexit in Christo. Non igitur à nostra inuocatione, aut à nostris meritis aut personis, fuit in Deo excitata misericordia, sed à dilectione eius in Christo erga nos.

Nec solùm vocat dilectionem, sed multam dilectionem. Meritò sic loquitur Apostolus: quia si magnae sunt diuitiae misericordiae erga nos, & misericordia haec oritur à dilectione: Ergo etiam dilectionem esse multam & magnam necessariò efficitur. Quàm autem sit magna dilectio Dei erga nos, quis explicare queat? Effecta ipsa confirmant, quod scriptura praedicat. Illud dictum Christi satis esse debet, Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnicum daret, vt quicumque credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam [John 3.]. Et illud Apostoli, Commendat autem Deus charitatem suam in nos, quòd cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est [Rom. 5.]. Circumstantiam hanc etiam hîc Apostolus indicauit, dicendo, Qua dilexit nos, non ait, qua diligit, sed qua dilexit. Quando? Nempe cum adhuc essemus inimici eius, & ambularemus in peccatis, &c. Haec circumstantia maximè praedicat, quàm multa & magna sit Dei erga nos dilectio. Si autem ita dilexit. nos, cùm adhuc tales essemus, & eius inimici: quantò magis nunc, cùm simus ei reconciliati, & facti filij eius? Sic Apostolus argumentatus est ad Roman. 5. Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: quantò magis nunc reconciliati, salui erimus ab ira, in vita ipsius? Haec ex versu 4.

[Ver. 5.] Etiam cùm essemus mortui per peccata, viuificauit nos vna cum Christo (Gratia estis seruati).

Duo sunt membra. Primum membrum facit ad commendationem magnitudinis misericordiae & dilectionis Dei, vt modò explicatum est. Illud nos, non est referendum ad Iudaeos tantùm, de quibus solis in ver. 3. sed communiter ad omnes, quos antè concluderat olim fuisse mortuos. Hoc docendo: Etiam cùm essemus mortui per delicta, viuificauit nos. Hoc enim primo loco de Gentibus concluderat, & postmodum de se & Iudaeis.

Verbo autem viuificandi vnà cum Christo, viuificationem propriè significauit, quam in hac vita, à Christo, seu à Deo in Christo & per Christum accipimus: quę bifariam considerata nobis est: Primùm, quatenus semel facta est in Christo capite & seruatore nostro, idque nostro [page 118] nomine, nostraque caussa. Deinde quatenus in nobis fit quotidie. Est autem haec praesentis vitae viuificatio, de qua iam loquitur, duplex, duplici mortis generi respondens, morti scilicet infernali, & mortispirituali.

1. Prima est viuificatio, qua liberamur à reatu mortis aeternae & infernalis, & contrà donamur iure vitae aeternae. Prior haec viuificatio fit per expiationem remissionemque peccatorum. Hac enim facta & impetrata, liberamur à reatu mortis aeternae, & donamur iure vitae aeternae, atque coelestis. Haec est prima.

2. Altera viuificatio est, qua à morte spiritali, in vitam spiritualem traducimur atque eripimur: vt mortui iam peccato, viuamus, Deo. Haec fit per communicationem Spiritus Christi, nos mortificantis peccato, viuificantis autem Deo. Harum viuificationum, quatenus fiunt in nobis, priorem iustificationem: alteram regenerationem ac sanctificationem appellare solemus, iuxta consuetudinem sacrarum literarum. Nunc vtraque considerata nobis est primùm in Christo, deinde in nobis.

Ad primam igitur quod attinet, Nos Deus in Christi persona viuificauit, quando per mortem Christi, expiato peccato, omnes Electos, quotquot fuerant à condito orbe, & futuri erant in finem vsque, tanquam membra Christi in ipso capite considerata, liberauit à reatu mortis infernalis, vt ante dixi, & donauit iure vitae coelestis atque aeternae. In nobis verò ipsis, nos reapse

viuificat hoc primo viuificationis genere, cùm donatos fide in Christum, donat etiam remissione peccatorum, & iustitiae Christi imputatione, & ita iustificat. Tunc enim reipsa liberamur reatu mortis aeternae, & donamur iure vitae coelestis atque diuinae: dicente Christo, Ioh. 3.v. 5. *Qui credit in me, non venit in iudicium, sed transit a morte in vitam.* Item, *Qui credit in me, habet (iam) vitam aeternam, quia ius habet certum illius coelestis haereditatis.* Ita iustificatio nostri, est prima nostri viuificatio.

At, inquires, Apostolus ait, Deum nos viuificasse vnà cum Christo: oportuit igitur & ipsum reatu mortis aeternae liberatum fuisse, si hoc primo viuificationis genere, cum ipso Christo fuimus viuificati. Quis autem dicat Christum, qui nunquam peccauit, reatu mortis aeternae implicitum fuisse, quo postea liberatus sit?

Resp. Persona Christi bifariam consideratur: Primum in se ipsa, quatenus & Deus & homo erat atque est. Hoc sanè modo fatemur, Christum nunquam vllo reatu fuisse obstrictum, multò minus aeternae mortis: cùm ipse etiam quâ homo, nullum vnquam peccatum admiserit. Proinde neque opus habuit huiuscemodi liberatione ac viuificatione. Alio modo consideratur Christus, quatenus constitutus fuit caput omnium Electorum, ac proinde quatenus in se sustinebat omnes nos, vt caput membra sibi habet adiuncta. Hoc modo Christus recepit in se omnes nostras iniquitates, imò Pater omnes in illum posuit; vt ait Iesa, cap. 53. ita vt sicut postea tota illius iustitia nobis fuit imputata & imputatur: Sic illi omnes nostrae iniustitiae & peccata tanquam capiti fuerint imputata à Patre. Hac ratione reus fuit mortis, propter peccata nostra in eum posita, & illius tanquam propria effecta. Quando igitur Christi morte, peccata quae in ipso erant posita, expiata fuerunt: tum fuit Christus tanquam caput, & nos vna cum illo tanquam membra, reatu aeternae mortis liberati, & iure aeternae vitae donati: vt meritò dictum Apostoli de hoc quoque primo viuificationis genere interpretati simus, Deus nos mortuos, id est reos aeternae mortis existentes, vnà cum Christo viuificauit.

Ad alterum quod attinet viuificationis genus, nempe à morte spirituali, ad vitam spiritualem & sanctam: tunc Deus nos in Christi persona viuificauit, quando Christum passum & mortuum secundum carnem, reddito illi spiritu, quem Patri commendauerat, viuificauit, & ad nouum vitae genus euocauit, ad vitam scilicet spiritualem, atque coelestem, replens illum, quatenus homo

erat, omnibus Spiritus sancti donis. Tunc enim & nos in ipso viuificauit. In nostris verò personis, nos reipsa viuificat hoc secundo viuificationis genere, quando communicato nobis suo Spiritu, sanctificat & regenerat nos; liberatque a seruitute peccati, & facit, vt peccato mortui, vinamus Deo, vt est ad Roman. 6. Haec de primo membro, vbi (vt iam dictum est) nomine viuificationis, beneficia Dei significauit Apostolus, quae in hac vita partim accepimus in persona Christi, partim quotidie accipimus per Spiritum Christi in nobis ipsis, nempe iustificationem & regenerationem.

2. Alterum membrum per parenthesin ita habet, *Gratia estis seruati*. Quidam volunt hanc particulam ab aliquo, non ab Apostolo, insertam & interpositam fuisse, non opportunè, nec suo loco: quòd ea postea repetatur vers. 8. Sed non subscribo: nec facilè concedam aliquid sacris literis vel additum, vel detractum fuisse. Si aperiatur haec fenestra infidelibus & haereticis: quid non audebunt contra nos? Sentio igitur ab Apostolo interpositam fuisse: & id non sine caussa. Caussam enim voluit ostendere primam nostrae salutis, esse gratiam Dei, id est, gratuitum illum & aeternum fauorem, quo nos reliquis neglectis, complexus est in CHRISTO, in eo nos eligendo: & vndenam ortum habuerit dilectio & misericordia, [page 119] de quibus antea, nempe à gratia. Praeterea hic fuit scopus Apostoli, demonstrare totam salutem nostram esse gratuitam, non ex operibus. Non igitur mirum, quòd eam inseruerit, & postea etiam infra repetat.

[Ver. 6.] Et conresuscitauit, & consedere fecit in supercoelestibus (locis) in Christo Iesu.

Diximus beneficia Dei in Christo, duplicis esse generis: alia quae in hac vita accepimus & accipimus quotidie: alia quae in futuro saeculo plenè & perfectè sumus accepturi. Primi generis diximus significata fuisse nomine viuificationis, qua viuificati sumus primò in persona Christi, quod, quando, & quomodo factum sit, docuimus: secundò in nobis ipsis reapse: Et hanc viuificationem esse tum iustificationem, tum regenerationem nostri.

Nunc ad beneficia secundi generis transit Apostolus: & duobus verbis ea explicat, Resurgendi, & sedendi in coelo: quorum primum ad resurrectionem corporum pertinet, alterum ad plenam aeternae vitae possessionem. Sed haec etiam beneficia, duplicem habent considerationem (sicut & de viuificatione

diximus) vnā in Christo, alteram in nobis ipsis. Deus in persona Christi, tanquam in capite nostro, nos vnā cum illo resuscitauit à mortuis, quando corpus Christi resumpto spiritu suo viuificatum, è sepulchro excitauit. Tunc autem consedere nos fecit cum Christo in coelo, quando illum fecit sedere ad dexteram suam in illis supercoelestibus locis, & aeterna frui gloria, ac beatitudine, & rerum omnium potiri. Haec prima est horum beneficiorum consideratio: in persona scilicet Christi.

In nobis autem ipsis reapse beneficia ista suum habebunt complementum, cū nostra corpora resumptis animis, excitabuntur à mortuis, ac resurgent ad vitam immortalem, vitaeque fruuntur sempiterna. Hic alter modus, quo intelligenda & considerata esse diximus nostri resurrectionem & sessionem in coelo, non videtur opus habere longiore explicatione, quoniam omnes intelligunt, nostra corpora verè resurrectura, & nos reipsa futuros in coelis cum Christo, aeternaeque gloria fruituros. Sed de priori non inter omnes conuenit, nempe quomodo intelligendum sit, nos iam cum CHRISTO reuera surrexisse, & cum illo in supercoelestibus sedere.

Quidam quod de resurrectione scribit Apostolus, referunt ad spiritualem resurrectionem, quae fit à morte spirituali, ad vitam spiritualem, qua non amplius peccato, sed Deo viuatur, iustitiaeque seruitur: Et huc aiunt pertinere dictum Apostoli Roman. 6. Nos baptizatos fuisse in mortem Christi (vt scilicet moreremur peccato) & cum illo excitatos à mortuis, vt in nouitate vitae ambulemus. Sed hoc beneficium diximus significatum fuisse nomine viuificationis: de quo dictum est versu superiori. Itaque interpretes ferè omnes de resurrectione corporum intelligunt: & meritò. Sed in sensu verborum, quomodo iam simus resuscitati à mortuis, non eadem est omnium sententia: alijs dicentibus, nos resuscitados cum Christo fuisse, *ὡν μὲν τῇ δυνάμει, ὥστερον δὲ καὶ ἐνεργείᾳ* (sed etiam ante Christi resurrectionem omnes pij surrexerant *δυνάμει*;) Alijs asserentibus, dici nos resuscitados, propter certitudinem, quam ex resurrectione Christi concepimus: sed omnes pij à condito orbe de hac fuerunt certi, sicut de futura Christi resurrectione, causa nostrę. Apostolus autem ait, Nos conresuscitados iam esse cum Christo, id est, quando Christus fuit suscitatus à mortuis, nos quoque fuisse cum illo resuscitados: cū tamen nondum essemus in rerum natura, multò minus à mortuis excitati.

Altera igitur Scholiastae interpretatio, veram affert huius loci intelligentiam. Ait enim nos, in Christo, tanquam in capite, & tanquam in primitiis resurgentium, excitatos fuisse: Et ita etiam de sessione in coelis idem confirmat. Quando enim in veteri Testamento benedicebantur primitiae frugum & aliarum rerum, dicebantur & reliquae fruges benedici ac benedictae esse in primitiis: Quomodo? potentine, aut spe, hoc est, quia certò essent & ipsae postmodum benedicendae? Minimè verò, sed actu erant benedictae: licet in templum non essent perlatae, nec Sacerdotis benedictio immediatè super illas cecidisset. Quomodo igitur erant actu benedictae? In primitiis ipsis. Quid ita? quia in primitiis continebantur omnes reliquae eiusdem generis fruges & res. Si item quis coniiciatur in profluentem, ibique maneat per triduum, & postmodum excitetur inde potentia diuina, ita vt capite solo extans ex aquis, inde enatet, reliquis corporis membris sub aquis manentibus: annon tamen reliqua membra dicuntur ex aquis liberata esse atque erepta? Omnino, & verissimè, sed quomodo, cùm adhuc sub aquis lateant? Quia cum capite coniuncta sunt, ideo etiam in capite verè dicuntur actu ex aquis liberata esse. Si maritus & primogenitus absens à corpore & à fratribus, aliquod occupet Regnum, suo & vxoris, & fratrum nomine: annon dicuntur & vxor & fratres iam actu, regnum illud cum marito, & fratre primogenito occupasse? Quomodo? Non δυνάμει, non certa spe, sed reipsa, quanquam ipsi, vtpote absentes, illo nondum in se ipsis fruuntur, sed in fratre & marito. Christus est primitiae omnium mortuorum, est caput nostrum, est sponsus totius Ecclesiae, & primogenitus inter multos fratres. Quicquid ille obtinuit, illud & nos in eo reipsa obtinuissè dicimur, victoriam contra mortem, [page 120] resurrectionem, haereditatem aeternae vitae; quanquam in plenam possessionem nondum perducti sumus. Actu enim ius in nobis iam habemus illius beatae resurrectionis, & gloriosae sessionis in Christi regno, & verò etiam possessionem, sed in capite tantùm. Possidet enim regnum illud Christus, non suo tantùm, sed nostro etiam nomine. Haec est prima & immediata, eaque verissima huius loci intelligentia: ex qua pendet altera, nimirum de certitudine illa, quacertò nouimus tandem fore, vt nostra etiam corpora reapse resurgant gloriosa, sedeantque, id est, regnent cum Christo in coelis. Quid ita? quia iam ibi habemus caput nostrum, cui triplici, eoque indissolubili nexu copulati sumus: nexu aeternae praedestinationis, nexu carnis, & nexu spiritus.

1. Primùm enim ita in Christo electi fuimus, vt essemus eius membra, & pro eius membris agniti fuimus à Patre. Hic est primus nexus.

2. Deinde ipse Filius carnem nostram sumendo, sibi que hypostatica vnione copulando, sese nobis adglutinavit, vt de spirituali coniugio disserens Apostolus, docuit: Hic est secundus.

3. Rursus suo nobis communicato Spiritu, nos sibi arctissimè coniunxit, faciens nos carnem de carne sua, & ossa de ossibus suis. Quid igitur mirum, quòd dicamus nos iam verè non δυνάμει, sed ἐνεργείᾳ surrexisse, & in coelis sedere, nempe in capite nostro: tanta cum sit vnio inter eum, & inter nos? Et sic locuti sunt Patres, praesertim Tertullianus & Bernardus, in coelis nos esse & regnare, quia ibi caro nostra est & regnat.

Ad hanc interpretationem pertinet, eamque confirmat quod in fine addit Apostolus, *In Christo Iesu*. Dixerat, Deum nos cum Christo resuscitato resuscitasse, & cum eo sedente in coelis, sedere fecisse: Et mox addit, *In Christo Iesu*. Non solùm cum Christo, sed in ipso etiam Christo ait nos surrexisse, & sedere in coelis. Docet igitur se non loqui immediatè de eo quod futurum est de nobis, & in nobis ipsis, sed de eo quod accepimus iam, sed in Christo, tanquam capite nostro. Nos cum Christo iam surreximus, & nondum surreximus à mortuis: Et cum Christo iam sedemus in coelis, & nondum sedemus. Surreximus quidem & sedemus cum Christo, non simpliciter, sed in ipso tantùm CHRISTO, vt membra in capite: nondum verò surreximus, neque sedemus in coelo, nostris corporibus iam excitatis à mortuis, & in coelum euctis: sed tantùm huius resurrectionis & sessionis futurae, certissimam hoc facit spem, quia iam conresuscitati sumus in Christo, & iam consedemus in coelo in ipsius persona, tanquam membra in capite. Ergo quia omnino futurum est, vt etiam nostra haec misera corpora resurgant, ipsamet, & regnent in coelo cum Christo: Ideo respectu huius certitudinis, dicimur etiamnum surrexisse, & sedere in coelis. Adde quòd mente etiam & spiritu, veri pij versantur in coelis, tanquam à mortuis excitati Coloss. 3. Philipp. 3. *πολίτευμα nostrum in coelis est*: Et totum hoc virtute Christi iam excitati à mortuis, & sedentis ad dexteram Patris.

[Obser. 1.] Ita nunc apertis oculis videmus quanta sit non solùm misericordia, sed etiam potentia Dei erga nos qui credimus: de qua capite 1. dixerat, se

precari Deum, daret nobis oculos, quibus possemus videre, quanta sit super excellens magnitudo potentiae roboris eius in nos qui credimus: & quam in Christo exeruit, cùm suscitaret eum à mortuis. Restabat vt declararet quomodo eam quoque erga nos patefaciat. Manens igitur in eodem proposito de diuina actione, qua suscitando Christum & sedere illum faciendo in coelestibus, suam in eo exeruit potentiam: concludit Deum eodem modo eandem suam potentiam declarasse erga nos: quia primùm viuificauit, resuscitauit, & sedere fecit nos in coelestibus, in persona Christi: Secundò, quia Spiritu Christi nos in nobis ipsis viuificauit, iustificauit, regenerauit, inque nouam vitam excitauit, & vt spiritu in coelis versemur efficit: Tertiò, quia iam certò excitaturus nos est à mortuis, & sedere factururus in coelis, vt hoc dici possit iam quodam modo esse factum. Nos itaque haec videmus, qui habemus oculos fidei: quantaque sit Dei potentia vnà cum misericordia bonaque voluntate, facilè intelligimus: Sed interim ipsi mundo, vita nostra abscondita est, nempe cum Christo in Deo [Col. 3.3]: Et ideo ab eo damnamur, persecutiones patimur, quemadmodum ante nos prior passus est Christus, vt famus hac etiam in parte ei similes, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam.

Nos verò hac praediti cognitione, nos scilicet iam in coelo esse cum Christo, quid tam durum, difficile, ac molestum in mundo esse potest, quod non debeamus, possimusque superare?

[Obser. 2.] Sicut verò haec doctrina subleuat mentes nostras ad coelum, & facit vt mente & affectu ibi versemur, vbi caput nostrum est, & nos in ipso sumus extra hunc mundum. Ita contrà, doctrina de vbiquitate, deque coelo vbiquitario, mentes hic depressas detinet, quando tam hîc est corpus Christi, quàm supra sphaeras coelestes.

Hactenus [page 121] causas salutis, magnitudinemque beneficiorum, quae Deus in Christo contulit Electis, tam Gentibus, quàm Iudaeis, cùm essent omnes mortui in peccatis, filij contumaciae, mancipia Diaboli, filij irae, paucis quidem verbis, sed summae sapientiae & maiestatis diuinae plenè explicauit Apostolus.

Sequitur tertia particula:

[Ver. 7.] Vt ostenderet in seculis superuenientibus superabundantes diuitias gratiae suae, in benignitate erga nos in Christo Iesu.

Potuisset iste versus coniungi cum superioribus tribus, cùm hîc etiam caussam salutis in Christo praestitae contineat, nempe finalem: Placuit tamen seorsim explicare, quia videtur mihi finem continere non solùm, cur voluerit Iudaeos & Gentes, qui fuerunt ante nos, seruare ex gratia, & per mortem ac resurrectionem Christi, vt proximis tribus versibus explicatum est, verùm etiam cur hoc modo seruare voluerit, nempe permittendo prius omnes concipi in peccatis, nasci filios irae, ambulare in peccatis, facere voluntates carnis & cogitationum, fieri filios contumaciae, mancipiaque Satanae, sicut explicatum est primis tribus versibus: ac tum demum misso filio, qui illorum peccata expiaret sua morte, eos à peccatis liberatos viuificare, cum Christo à mortuis excitare, & cum eodem in supercoelestibus locis in tanta gloria collocare. Totius huius consilij diuini, caussa finalis, hîc explicari mihi videtur; ea est, vt hac ratione ingentes, & omnem humanum captum superantes diuitias gratiae suae, toti posteritati singulis temporibus ostenderet, & in seruatis Iudaeis ac Gentibus, tanquam in exemplari & speculo quodam illis qui post modum seruandi erant, contemplantas proponeret: & ita nos, qui secuturi eramus, haec quae gesta fuerunt, vel scripta legentes, vel audientes narrari, nunquam ob vlla quantumvis magna, & innumerabilia peccata, nunquam de misericordia & gratia Dei desperaremus: sed confugientes ad Christum, illumque animo fidei amplectentes, firma fide crederemus, Deum non minus erga nos futurum in Christo liberalem dispensandis diuitijs suae misericordiae, quàm fuerit erga Patres nostros: ac proinde persuasum haberemus, propter eandem misericordiam nos quoque esse iam in Christo viuificatos, condonatis peccatis, resuscitados item & collocatos in coelo, & tandem cum corporibus etiam istis nos futuros in coelo cum Christo, aeternaque felicitate fruituros, atque ita Deum perpetuò glorificaremus, immensamque eius erga nos in Christo bonitatem praedicaremus.

Haec est finis illa quam hîc tradit Apostolus de consilio diuino in seruandis per Christum, & in Christo electis omnibus, mortuis in peccatis, vt semper posterì, audita & credita misericordia de mortuis in Christo facta, ipsi quoque eiusdem fierent participes, per fidem in eundem Christum.

[Membra. v.7.] Sunt autem tria membra huius versus: Pri Memoramo explicat finem, dicendo: *Vt ostenderet super excellentes*, seu immensas *diuitias gratiae suae*. Altero docet, quibus nam & quando hunc finem voluit ostendere, eoque praedicari & offerri has diuitias gratiae suae posteris omnibus, qui seculis superuenientibus futuri erant in finem vsque mundi. Tertio docet, quomodo voluit ostendere: ait, *in benignitate erga nos in Christo Iesu*: id est, per benignitatem illam, quam in Christo capite nobis praestitit, posteris praedicatam. Illud igitur *erga Nos*, intellige Paulum, illosque fideles omnes, tam Gentiles, quàm Iudaeos, qui fuerant ab aduentu Christi vsque ad ea tempora quibus haec scribebat. Facit enim discrimen inter eos, qui tum erant electi ac pij, & inter illos, qui futuri erant in seculis superuenturis. Ita sensus est perspicuus, Per benignitatem Dei, defunctis Patribus in Christo praestitam, posteris autem praedicatam, ipsos quoque posteros intellecturos, quanta sint diuitiae misericordiae & gratiae diuinae in Christo: eoque spem concepturos, Deum tam diuitem in misericordia, futurum erga se liberalem, si eundem Christum fide amplectantur, eique adglutinentur: & ita omnes credentes per eandem benignitatem & gratiam Dei, in Christo seruatum iri. Haec est genuina huius loci intelligentia, quanquam multi alij aliter interpretentur: nempe, ideo Deum nos in hoc seculo spiritualiter viuificasse & resuscitasse cum Christo, & per spem sedere fecisse in coelo: vt postea in futuro seculo, immensas diuitias suae misericordiae & gratiae reapse nobis ostendat, cùm scilicet reipsa nos excitabit à mortuis, & collocabit in regno coelorum, per eandem suam benignitatem, quam hactenus etiam communicauit in Christo Iesu. Atque huc spectare, quod alibi Apostolus ait. *Quae oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.* [1 Cor. 2.]

Sed primùm quidem illud verbum ἐνδείγνυμαι, non significat simpliciter ostendere, sed specimen rei praebere, & aliquid in exemplum proponere. Deinde non de alijs diuitijs loquitur, quàm de illis de quibus supra, Deus autem cùm diues sit in misericordia, conuiuificauit nos etiam cùm essemus mortui. Ideoque sensus non est, quòd Deus sit in coelo reipsa ostensurus ampliores diuitias, introducendo scilicet nos in regnum coelorum: sed quòd diuitias exhibitas olim Iudaeis & Gentibus, sit propositurus in exemplum, futuris populis omnibus. Tertiò, non dixit Apostolus, vt ostendat diuitias in seculo futuro (hoc est, in altera vita, vt isti interpretantur) sed in seculis superuenientibus, & perpetuò sibi succedentibus: [page 122] Est autem

seculum, spatium 100. annorum. Significauit ergo Apostolus, Deum velle omnibus temporibus in finem vsque mundi, has diuitias gratiae suae olim praestitas Iudaeis & Gentibus, in posterum reliquis etiam Gentibus patefieri, & in exemplum proponi. In quem verò finem? vt etiam posteri earundem diuitiarum gratiae Dei participes fiant, credendo Euangelio, quo hae diuitiae praedicantur, proponuntur, exhibentur. Denique Apostolus ipse in 1. ad Timothea, exemplo sui, ostendit quomodo locus etiam iste, qui est de misericordia Dei, tùm sibi tùm alijs Iudaeis & Gentibus praestita, intelligendus sit.

Primùm ait, *Christum venisse in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum primus (inquit) ego sum.* Deinde subdit, *Sed ideo misertus est mei, vt in me, primò ἐνδείξῃται* (idem est verbum quod etiam hîc) *ostenderet Iesus Christu omnem clementiam, πρὸς ὑποτόπωσιν, id est, ad exemplar τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ’ αὐτῷ, in vitam aeternam:* id est, ideo in me magnam suam declarauit misericordiam, vt essem ego alijs exemplar misericordiae Dei, eoque vt illi credendo in Christum, & fidendo misericordiae Dei, vitam consequerentur aeternam. Non alio sensu locutus est etiam hîc ad Ephesios. Confirmatur à contrario. In quem finem Deus tam seueras, sed iustissimas tamen poenas sumsit de Angelis peccantibus, de hominibus tempore Noae, de Sodomitis tempore Loti? Vt in illis ostenderet magnitudinem suae irae aduersus peccata, per omnia secula in finem vsque mundi: quò disceremus omnes timere Deum, & euitare similia flagitia. Hoc est quod Petrus vsus est his exemplis ad incutiendum alijs timorem irae Dei in 2. Epist. cap. 2. [2 Pet. 2.]

Ita contrà, magnas diuitias suę misericordiae praestitit ac communicauit Apostolis, & alijs tunc temporis credentibus in Christum: vt in illis sanctis ac fidelibus, declararet & nobis posteris, quanta diuitiae bonitatis diuinae nos & alios in Christum credentes maneant: atque ita confirmemur in fide de salute aeterna per solum Iesum Christum, in quo solo hae diuitiae coelestes communicantur.

[Obser. 1] Primò obseruandus est hic locus, quia inde discimus, quid sperandum sit nobis & alijs omnibus credentibus in Christum: illae nimirum diuitiae, illique thesauri bonitatis diuinae, quos etiam Prophetis, & Apostolis, alijsque primis fidelibus, partim in hoc mundo, partim in coelo communicauit

Deus in Christo, & per Christum. Imò discimus, quicquid praestitum est capiti nostro Christo, id toti eius corpori, eoque singulis membris partim iam esse praestitum, partim etiam amplius praestandum esse, gloriosam scilicet resurrectionem, & sessionem in coelo, hoc est, plenam aeternae coelestisque haereditatis possessionem.

[2.] Secundò obseruandum & illud, quòd repetit de superexcellentibus istis diuitijs gratiae Dei: diximus nonnihil antea. Addam tamen & hoc, quòd Ambrosius ait, inde apparere quàm diues sit aliquis, si de suis diuitijs communicet abundè omnibus petentibus: quid verò si etiam non petentes quaerat, vt eis communicet? Talis est Deus. Addamus verò nos, ex altera particula, nempe superuenientibus seculis, addamus inquam, quid si talis diues communicet suas diuitias omnibus & petentibus & non petentibus, non vno die aut mense, aut anno, sed semper, omnibusque seculis? argumento fuerit, diuitias esse verè super excellentes, quae nunquam exhauriuntur. Hoc facit Deus. Proinde.

[3.] Tertiò obseruandum, Deum suas diuitias patefacere, & demonstrare omnibus seculis, non solùm praedicatione, sed etiam perpetua communicatione ita vt nunquam deficiant, nec deficere possint. Tam amplae sunt iam nobis, qui viuimus post Christum natum, seculo decimo sexto, quàm fuerunt etiam primo seculo, seu prima annorum centuria. Annon & solis splendor tam lucidus est, & tam amplè se diffunditiam, quàm etiam antè & ab initio mundi? multò minus exhauriri possunt diuitiae misericordiae & bonitatis Dei. Ac si tam efficax fuit malum Adae, vt nunquam cessarit, aut cesset, quin ex aequo omnes posteros, omnibusque seculis inuadat: putabimus ne beneficium Christi & Thesaurus misericordiae Dei minoris esse efficacitatis, aut exhauriri posse? Apostolus docet ad Rom. 5. longè maius esse beneficium Christi, maleficio Adami. Nemo igitur diffidat, nemo desperet, sed omnes Christum amplectamur, & salui erimus.

[4.] Quartò obseruandum, in quem vsum proponantur sancti Prophetae, Apostoli, Martyres: in eum nimirum vsum, in quem etiam Deus gratiae suae diuitias in illis collocauit: nempe, non vt inuocentur, adorentur à nobis, sed vt in ijs tanquam in speculis, diuitias bonitatis diuinae contemplemur, indeque fiduciam concipiamus in Deum & in Iesum Christum: quòd cùm ipsi sicut & nos fuerint suâ naturâ concepti in peccatis, nati filij irae, multaque admiserint

scelera; quia tamen crediderunt in Christum, Deus illos conuiuificarit cum Christo, Spiritu suo repleuerit, & in coelum adduxerit: Futurum igitur vt & nos repleat diuitijs bonitatis suae, si firmam fidem in Christum retineamus. Quò pertinet illud, *Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.* [Rom. 15.] Vnde etiam sequitur, sicut Patres, maioresque nostri, qui decesserunt in Domino, exemplaria nobis fuerunt ingentium opum misericordiae Dei: sic nos si constantes simus in fide Christi, futuros nostris posteris instar speculorum, in quibus contemplantur quantè sint diuitiae benignitatis & gratiae diuinae, ipsi quoque [page 123] confidant se propter Christum, consecuturos misericordiam, omnium peccatorum remissionem, vitam aeternam. Hoc enim modo cum alij alijs sint exemplaria misericordiae immensae erga credentes in Christum: vnus salus, alterius adiuuat promouetque salutem.

Quintò obseruandum: cùm tantae sint diuitiae gratiae Dei, & misericordiae per se, quia immensae, & inexhaustae: quid cogitandum de illis Dei diuitijs est, cùm accesserit thesaurus meritorum Christi? Siue igitur quaeramus misericordiam, siue merita, vtrumque habemus in Christo immensum & in exhaustum, & nunquam deficiens. Quis igitur de salute sui dubitare queat, si Christum fide retineat? Est haec doctrina vt certissima, sic omnis consolationis plenissima.

Sequitur nunc quarta particula huius prioris contectus.

[Textus] 8. Gratia enim estis seruati, per fidem: idque non ex vobis: Dei donum est.

9. Non ex operibus, ne quis gloriatur:

10. Ipsius enim opus sumus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quae Deus praeparauit, vt in ijs ambulemus.

Summa horum versuum, haec est.

Primum, confirmat praecedentem doctrinam, salutem nostri, totam esse gratuitam. Hoc enim est illud ipsum, quod & superioribus versibus, & hoc

praesenti contextu cumprimis confirmare voluit Apostolus: Ac proinde ijs tribus versibus idem repetit, quanquam diuersis verbis, modò affirmando, nos per gratiam esse seruatos, modò negando, nos ex operibus nostris consecutos esse, aut consequi posse salutem. Affirmat ter, primùm dicendo: *Gratia estis seruati*: secundò, dicendo: *Dei donum est*, nempe tota salus vestra: tertio, dicendo: *Ipsius opus sumus (seu factura) creati in Christo Iesu*. negat verò bis salutem esse ex operibus nostris, Primùm, dicendo, *idque non ex vobis*: Secundò, dicendo, *non ex operibus*, addita etiam ratione finali, *Ne quis gloriatur*. Ita apparet hoc esse praecipuum caput, quod Apostolus his tribus versibus probare voluit: *Nos gratis seruari ex misericordia Dei, et propter solius Christi merita*: cuius rei confirmationes & argumenta ad finem huius prioris partis colligam, tum ex praecedentibus, tum ex iis tribus versibus.

2. Secundo verò loco, cùm supra explicarit. causas efficientes salutis nostrae, nec non & impulsivas, & verò etiam finalem quandam tantae erga tam miseros praestitae misericordiae: hîc tradit causam instrumentalem, qua salus percipitur: haec est fides in Christum, ideo ait, *Seruati estis gratia per fidem*: quasi dicat, salute & gratia per fidem recepta.

3. Tertio, docet de bonis operibus, Etsi per illa non iustificemur: ea tamen non separari à iustitia, aut à fide, & effecta esse gratiae, Deumque velle, vt in eis ambulemus, hoc est, vitam nostram transigamus, donec in aeternam vitam, coelestisque haereditatis possessionem introducamur. Ita hîc insignem locum de bonis operibus, tradit nobis Apostolus. Nunc singula percurro.

Versus octauum tria sunt membra: primum est hoc, *Gratia enim estis seruati per fidem*. Illud γὰρ τῇ γὰρ χάριτί estis seruati: potest & ἀιτιολογίαν continere, & explicationem.

Ἀιτιολογίαν, eius scilicet quod dixerat, versu praecedenti, Deum voluisse ostendere diuitias gratiae suae: cur appellantur à Paulo diuitiae gratiae? Quia (inquit) Gratia seruati estis: haec enim est fons salutis vestrae; vnde & dilectio, & misericordia & merita Christi, immò & fides vestra, bonaque opera omnia, & vita aeterna, eoque tota salus. Potest etiam habere explicationem illius χρηστότητος, de quaproxime dixerat, Deum voluisse ostendere diuitias gratiae suae, posteris successiuè per omnia secula, Quomodo? Per benignitatem (dixit) erga nos in Christo Iesu: qua scilicet erga

nos vsus est in Christo. Quaenam ista est χρηστότης, seu quanam in re consistit? in hoc, quòd gratia sua vos seruauit, & non ex operibus vestris, quae nulla habebatis bona: donata etiam fide, qua salutem perciperetis. At non haec est magna benignitas Dei erga nos? Haec magis placet interpretatio, quia similem locum habemus etiam ad Titum 3. *At postquam η χρηστότης καὶ φιλανθρωπία apparuit seruatoris nostri: Non ex operibus iustitiae quae fecerimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis.*

In hoc igitur apparet, quanta fuerit & sit ἡ χρηστότης Dei erga nos in Christo, quia non expectatis nostris bonis operibus, praeuenit, nos sua gratia & seruauit.

Quòd verò ait, *Seruati estis*, non solùm iustificationem, sed totam salutem intelligit Apostolus, vt liquet ex toto contextu, vbi resurrectionis etiam & sessionis in coelo mentionem fecit, dicendo: nos esse reluscitatos, & sedere in coelis.

Ita hinc intelligimus, contra Sophistas, non solùm primam (vt vocant) iustificationem: sed etiam secundam, adeoque totam salutem, soli gratiae adscribi: negari autem operibus nostris omnibus, tam post, quàm ante iustificationem praestitis, si in se considerentur.

[Quaestio. 1.] Quomodo verò ait, Nos iam seruatos esse, cùm nondum simus plenam salutem consecuti? Ex ijs quae supra dicta sunt, liquet responsio: Nos primùm in Christo capite, plenam salutem consecutos esse: Secundò, in nobis ita inchoatam esse salutem, vt tam certò sit perficienda, quàm certum etiam est, eam esse inchoatam in nobis, & perfectam in Christo: Itaque propter hanc [page 124] certissimam spem, dicimur iam esse seruati. Quò illud Apostoli spectat ad Roman. *Spe* (certissima) *salui facti sumus*. [Rom. 8.] Etsi enim adhuc in nobis haereat peccatum, & subinde labamur: tamen primùm quidem nulla peccata imputantur, nihilque damnationis est in ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. [Rom. 8.] Deinde contrà, in conspectu Dei reputamur iustissimi, & non habemur amplius pro perditis, sed pro perfectè seruatis, quatenus nos in Christo considerat Deus. Tertiò, Spiritus sanctus in nobis regnans mortificat peccatum, & facit vt eius reliquiae non possint nobis esse mortiferae. Adde, quòd certissimè ventura est mors, per

quam peccato etiam inhabitante liberabimur. Ijs igitur de caussis rectè dixit Apostolus, nos iam esse seruatos.

[Questio. 2.] Cur verò Apostolus, cùm ante dixerit, tam de se, & Iudaeis, quàm de Gentibus, Deum suam benignitatem in Christo erga se declarasse, τῇ χριστότητι (inquit) erga nos: nunc ad solos Gentiles conuertens sermonem, ait, *Sernati estis?* cur non, Seruati enim sumus gratia?

Resp. Non excludit se aut alios Iudaeos, nam post ver. 10. ait, de omnibus, *Ipsius enim opus sumus, conditi in Christo*. Sed de Gentibus hoc inprimis expressit: *Gratia seruati estis*, quia ad ipsos Gratiam Dei non pertinere putabant Pseudoapostoli, nisi legem Mosis admitterent: & salutem volebant perfici per opera. Immò Apostolus, iam vos, inquit, estis seruati Gratia Dei: vt non sint vobis ad salutem necessaria opera legis. Accedit alia ratio: quia Gentibus nulla facta fuerat promissio, sicut Iudaeis, ideo ex meragratia eos seruatos esse vbique inculcat. Et hoc discrimen Rom. 15. adfert Apostolus, dicendo: Christum factum esse ministrum circumcisionis, pro veritate, ad confirmandas promissiones Patribus factas: pro veritate (inquit) id est, vt appareret Deus verax in suis promissis. De Gentibus autem subdit, dicendo, Et vt Gentes pro misericordia glorificent, Deum. Audis discrimen? Deus enim videbatur aliquid debere Iudaeis, quia se obstrinxerat promissionibus, gratuitis tamen: Sed Gentibus nil, quia non ita promiserat illis, sicut Iudaeis: idcirco quòd sint vocati ad Christum & seruati Gentiles, gratiae soli & misericordiæ id solet semper Apostolus adscribere: quanquam neque Iudaei alia ratione seruantur, quàm per gratiam, si singulae spectentur personae.

Quid autem voce Gratiae intelligat, paulo ante dictum est: nempe non quaeuis dona Spiritus sancti gratuita, quae & ipsa nomine Gratiæ nonnunquam significantur: neque etiam habitus aliquis (vt nonnulli fingunt) infusus, seu patibilis qualitas, vt alij loquuntur, per quam iustificemur, quae significatio nullum habet testimonium in sacris literis, sed illorum opinio falsissima est: Verùm significatur fauor Dei gratuitus, quo nos in Christo ab aeterno complexus est, vnde dilectio atque misericordia, & tota salus nostri oritur: quenadmodum fusè disseruimus in libro de attributis Dei, cap. de Gratia. [De Attributis lib. 4. cap. 2.]

Excludit autem haec vox sua significatione omnia humana opera atque merita: iuxta illud Apostoli, Roman. 11. *Si ex gratia, non ex operibus: alioqui gratia, iam non est gratia.* Quo ex loco collegit Augustinus, & ait, Gratia non est gratia vllo modo, si non est gratuita omni modo.

Proinde haec propositio, Gratia estis seruati, non solùm propositio est, sed sui etiam confirmationem adiunctam habet: Est enim sensus, Vos sola gratia, simpliciter & absolutè seruati estis, ita vt vestra salus omnibus modis tota sit gratuita. quid ita? quia gratis salui facti estis. Gratia autem non est vllo modo, si non sit gratuita omni modo.

Sed addit, *per fidem*, scilicet vestram. Quomodo igitur sola Dei gratia; si etiam per fidem suam seruati fuerunt Ephesij: ac proinde quomodo illorum salus gratuita fuit omnimodo? Resp. Fides non hîc consideratur vt opus quoddam nostrum, à Deo in nobis excitatum: sed vt instrumentum, quo recipimus & amplectimur salutem, ac gratiam. Est autem necesse accipias salutem & gratiam, si seruari velis. Quomodo verò recipitur? per fidem, seu manu fidei. Inde fit, vt licet gratia, & salus detur gratis, & citra opera nostra: recipi tamen non possit, nisi fidei manu eam apprehendas. Non igitur fides iustificat propriè, aut seruat vel in totum, vel ex parte, sed tantùm salutem & iustitiam recipit: Et eatenus dicitur seruare, quatenus salutem recipit. Itaque instrumentum est, salutem recipiens, non autem promerens. Solet tamen etiam dici seruare & iustificare, respectu obiecti, id est, Christi apprehensi, qui propriè iustificat sua gratia. Itaque Fides, tantum abest vt aliquid detrahat Gratiae, vt Gratia sine fide in nobis (de adultis loquimur) locum habere non possit. Ideo in sacris literis optimè inter se coniunguntur: cùm tamen aliud effectum sit Gratiae, aliud autem Fidei. Itaque Fides quatenus instrumentum est recipiens salutem, nihil impedit, quin salus tota sit gratuita: quia in iustificatione & salute nostri propriè promeretur nihil, sed tantùm recipit. Et ita meritò etiam Apostolus vtrumque coniungit, Gratiam, & Fidem: quia vna recipitur, altera recipit: vna verò efficienter saluat, altera dicitur seruare, quia salutem recipit.

Quid autem Fidei nomine intelligamus, declaratum fuit in capite primo, in loco de Fide.

[Questio: Objectio de fide infantum. 1.] *Si fide recipitur* [page 125] *salus, quomodo igitur sernantur infantes, qui fide carent?* Resp. *Primùm*, Fides, qua quae nobis praedicata & cognita sunt, credimus, non requiritur nisi ab illis, qui etiam possunt verbum audire & intelligere: *Fides enim est ex auditu.* [Rom. 10.] Cùm igitur pueri non possint, etiamsi essent in natura integra, audire: neque etiam ab illis haec fides exigitur.

2. *Secundò*, Spiritum habent Fidei, hoc est, Spiritum sanctum, qui salutem illis applicat atque communicat.

Vocant alij fidem occultam, nempe ipsis etiam infantibus: alij fidem habitualement, habitu scilicet infuso à Spiritu sancto: alij aliter. Sed magis placet vti locutione Spiritus sancti, qui ait, *Habentes autem eundem Spiritum Fidei.* Certè infantes actu non ratiocinantur, neque in vteris maternis existentes aliquid vident: quis tamen dicet, eos expertes esse animi, aut facultatis videndi? Si suas vires iam non exerunt ratio, & videndi facultas: exerent tamen, Deo volente, suo tempore. Interim tales infantes vt sunt veri homines, sic etiam in numero fidelium habendi sunt. Manifestum est, eos esse in foedere, & Christo insitos, si Spiritum habeant. Christi: hoc autem ad perceptionem salutis ex Christo, sufficit.

Cùm igitur Apostolus dicit, *Gratia Dei seruati estis per fidem*, de adultis propriè eum loqui manifestum inde est, quia ad Ephesios qui à se audierant Euangelium, loquitur. Atque haec de primo membro.

Alterum est, *Idque non ex vobis.*

Confirmat propositionem affirmatiuam, *Gratia estis seruati per fidem*, negando esse ex nobis, hoc argumento: Vos non estis seruati ex vobis ipsis: Ergo Gratia seruari estis. Assumptum manifestum est ex praemissis: Qui mortui sunt, certè à seipsis non excitantur ad vitam, neque ad eam accipiendam aliquid è suo conferunt. Vos fuistis mortui in peccatis. Quòd igitur viuificati à Deo & seruati sitis, hoc non est ex vobis, sed ex ipsius gratia: immò quòd etiam hoc modo seruati sitis, nempe per fidem, ex vobis non est, sed ex gratia Dei, qui fidem donauit, qua salutem gratis oblatam, reciperetis. Illud enim *Idque*, ad vtrumque est referendum: ad id, quod dixit,

Seruati estis, & ad illud, per Fidem. Itaque docet neutrum esse ex nobis: sed ex gratia Dei.

Illud *Non ex vobis*, intelligo neque ex dignitate personarum vestrarum, neque ex viribus vestris, neque ex vlllo vel desiderio vestro, vel petitione, seu ex inuocatione. Sic enim esse intelligendum docent superius dicta de mortuis per peccata. Mortui per peccata, & in peccatis, digni ne sunt, qui viuificentur? quid item virium habent mortui ad sui viuificationem? neque etiam petere possunt, vt viuificentur, mortui cùm sint. Ergo hoc membro tollit in negotio salutis nostrae, omnem personarum dignitatem, omnes nostras vires, omnia merita, imò omnem actionem, & relinquit tantummodo in nobis passionem, sed passionem perficientem: quemadmodum etiam Philosophi dixerunt, sensus sentiendo pati ab obiectis: sed has esse passiones, sensum perficientes. Sic fit in nostri iustificatione & salute. Opera enim Spiritus sancti, recipitur fides: Et per fidem salus. Sequitur ergo, Primùm sola gratia, nos seruari: Secundò, per solam fidem, salutem recipi, quae etiam effectus gratio est.

Tertium membrum affirmat, quae modò dicta sunt: primò salutem nostram, deinde etiam fidem, per quam seruamur, non ex nobis esse, sed ex Deo vtrumque gratis donante. *Dei* (inquit) *donum est*. Si donum, & quidem Dei: Ergo gratuitum, quia indebitum, & ex mera liberalitate est. Quare tum tota salus, tum fides per quam seruati estis, ex mera sunt gratia Dei. Opponit enim hic donum indebitum, praemio debito. Esse autem salutem nostram, donum indebitum, liquet ex superioribus, vbi conclusit, omnes esse filios irae, filios contumaciae. Talibus certè hominibus, debetur mors aeterna, quia stipendium peccati mors. Si ergo non solùm liberentur reatu huius mortis, sed etiam vita donentur & seruentur, dato etiam medio, per quod vitam recipiant & salutem nempe fide: annon totum hoc fuerit singulare, & indebitum donum? Quòd si donum indebitum, ergo gratuitum: quare gratia salui fimus. Tale igitur est argumentum:

[Argumentum Apostoli.] *Quicquid datur dono, datur nullo ex debito, sed ex gratia. Quod enim debetur, donum non est, sed debita merces, & praemium.*

Atqui vobis donata est vita & salus. Hoc liquet, quia propter peccata vestra, debebatur mors, & damnatio aeterna. Quòd igitur seruati estis, hoc est ex gratia.

Emphasin autem habet particula Dei, Donum Dei. Nam cùm vera sit illa propositio apud omnes gentes, quod datur dono, illud ex gratia est, quia non debetur: ea multò magis locum habet in Deo erga nos: quia etiamsi non peccassemus, & peccato non commeruissemus aeternam mortem, nihil tamen nobis ille deberet, multò verò minus aeternam salutem. Ratio est, quia liberrimus & absolutissimus est Dominus noster: quos si etiam ab aeterno destinare voluisset aeternis cruciatibus pro sua libera voluntate, quae iniusta esse non potest, nullam nobis fecisset iniuriam: vt Apostolus docet ad Roman. 9. de Reprobis. Aliquando homines alijs donant hominibus, sed non sine aliquo debito, vel consanguinitatis, vel affinitatis, vel amicitiae, vel officij alicuius [page 126] accepti: Item nonnunquam dona dantur vt aliquem nobis demereamur, & postea ab illo officia accipiamus. Ita fieri potest, vt dona non sint simpliciter & omni ex parte gratuita. At verò in Deo, nihil horum locum habet. Oportet igitur dona Dei simpliciter esse à gratia: quae si non sit gratuita omni modo, non erit gratia vllo modo.

Quare firmissimum est Apostoli argumentum, Donum Dei est, quòd sitis seruati, idque per fidem vobis à Deo donatam, qua possitis salutem percipere: Ergo sola Dei Gratia seruati estis.

Oritur hîc quaestiuncula, quae nonnullos exagitauit. Concludit hîc Apostolus, totam nostri salutem, esse à sola Gratia. Alibi tamen docet nos seruari per sanguinem & propter merita Christi: Et quidem hoc facit in altera huius capitis parte, vbi causam materiale salutis nostrae propriè explicat.

Quomodo igitur ex sola gratia est, & dono.

Resp. Salus nostri omnium, & merum Dei donum est, gratiaque indebita, & praemium etiam est, idque debitum, sed diuersis respectibus. Respectu nostri ad Deum, merum est donum, vt ante explicatum est. Nam quòd etiam Christum dederit, qui pro nobis iustitiae Dei satisfaceret: totum illud fuit à gratia Dei, qua nos in Christo complexus est ab eterno. Et hoc est quod hîc concludit Apostolus, aduersus Pseudoapostolos, qui opera legis necessaria ad salutem esse docebant.

At verò respectu Christi, qui pro nobis satis fecit iustitiae Dei, nosque suo redemit sanguine: praemium certè fuit, sanguinis & mortis Iesu Christi debitum. Empti estis (inquit Apostolus) pretio: Item dedit ἀντίλυτρον pro nobis. Et de hoc agit in altera etiam parte huius capitis. Non pugnant ergo inter se diuersis spectatis respectibus, nos seruatos esse gratia Dei, & meritis ac satisfactione Christi: Et salutem nostram, nostrique redemptionem esse donum Dei gratuitum, & esse prēmium, non nobis sed meritis Christi debitum. Apostolus autem salutem nostram hîc considerauit, non respectu Christi, qui illam nobis acquisiuit sanguine suo, sed respectu nostri, qui eramus mortui in peccatis: Et hoc respectu dixit esse donum Dei, eoque totam gratuitam, & à gratia proficisci. Proinde cùm etiam loquitur de operibus, negatque illis eam deberi, vt modò sequitur, non de operibus Christi, sed de nostris verba facit. Quis enim nesciat operibus Christi, illiusque obedientiae, eam deberi? Sed nostris minimè debetur, cùm mors potius debeatur. Subdit igitur:

[Ver. 9.] *Non ex operibus, ne quis gloriatur.*

Hîc duo habemus, primum confirmationem propositionis, Nos seruatos esse sola gratia: quid ita? quia ex operibus non estis (inquit) seruati. Non esse autem ex operibus bonis seruatos, comprobabit nouo argumento, versu insequenti, hoc est, 10. nempe quia bona opera non possunt fieri nisi à regenerato nouaque creatura. Ergo ante regenerationem, quae per solum Iesum Christum habetur, nimis stultum est dicere aliquem ex operibus seruari posse. Argumentum igitur tale est, quod hîc habemus:

Vos non estis seruati ex operibus:

Ergo ex sola gratia.

Hic etiam apparet, gratiam & opera inter se pugnare, sibique inuicem esse contraria, non simpliciter (bona enim opera effecta sunt gratiae) sed secundum quid, hoc est, in officio iustificandi & seruandi: Quò pertinet illud ad Rom. *Si per gratiam, iam non ex operibus, alioqui gratia non est gratia.* [Rom. 11.]

Gratia enim iustificamur, deinde iustificari, bona praestamus opera: vnde illud Augustini, *Bona opera non praecedunt iustificandum, sed sequuntur*

iustificatum. Quomodo igitur bona opera, caussa esse possunt iustificationis? Ac quod dicimus de iustificatione, & regeneratione hîc inchoata, idem de perfectissima regeneratione, quae erit in fine mundi concludimus, hoc modo: inchoata obedientia non praecedit regenerationem, sed sequitur: Ergo perfecta obedientia non praecedit, perfectam regenerationem, sed sequitur. Nam in coelo duntaxat, verè totam legem seruabimus, quae in dilectione Dei & proximi perfectissima consistit. Quare salus, nunquam ex operibus nostris pendet, sed semper ex gratia. Putant interpretes idem esse, quod supra dixit, vers. 8. *Non ex vobis*, cum eo quod hic ait, *Non ex operibus*. Ego tamen crediderim aliquid esse differentiae inter vnam & alteram locutionem: nimirum illa priore, tolli in genere à negotio salutis & conuersionis ad Christum, quicquid est in homine, omnem personae dignitatem, omnes facultates, vires, virtutes: posteriore verò, speciatim quicquid ab homine fit, quod speciem habeat boni operis.

[Object.] Sed hic oritur quaestio, quomodo Apostolus neget ex operibus ante regenerationem factis, salutem contingere: cùm de operibus Cornelij dixerit Angelus, *Orationes & Eleemosynas eius ascendisse in conspectum Domini*. [Act 10.] Et Petrus ait, *In veritate comperi, quòd Deus non sit acceptor personarum: sed quòd in omni gente quisquis timet Deum, et operatur iustitiam, is acceptus est illi*.

Resp. Primùm negamus opera, quae pręstitit Cornelius, & de quibus loquitur Angelus, & Petrus, fuisse ab illo facta absque cordis purificatione per Spiritum Dei: tametsi nondum vel distinctam perfectamque Christi cognitionem consecutus fuerit, vel Baptismum suscepit. Dixit enim Spiritus ad Petrum, *Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris*. Deinde licet ea opera non fuerint ingrata Deo, quia ex fide & ex corde purificato facta [page 127] fuerunt: negamus tamen inde potuisse iustificari aut seruari: ratio, quia omnia etiam iustorum hominum opera, imperfecta sunt, & sunt vt pannus menstruatae foeminae. [Isa. 64.] Quò illud Prophetæ pertinet, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nemo viuens apud te iustificabitur. [Psal. 143.]

Et illud Augustini, *Vae vniuersae iustitiae nostrae, si remota misericordia iudicetur*. Rectissimè igitur Apostolus dixit, Non ex operibus esse salutem. [Opera non iustificant.]

1. Primùm, quia ante regenerationem omnia sunt peccata.

2. Secundò, quia post regenerationem etiam, non satisfaciunt legi Dei: ac proinde in se considerata, Deo placere non possunt, eoque nec aliquid prodesse ad salutis consecutionem, seu perceptionem.

Alia verò ratio est, quatenus ea in Christo considerantur. Nam quicquid in illis est peccati, condonatur, & accepta sunt Deo propter Christum. Per haec enim tanquam per rectas semitas deducit Deus suos in aeternę vitę possessionem, vt post dicemus.

Sed merita non sunt, aut verae caussae vitae aeternae, & salutis. Stat enim propositio Apostoli, Gratia seruati estis, per fidem, non ex vobis, neque ex operibus. Sequitur alterum membrum

Ne quis gloriatur.

Bifariam exponi potest haec particula: Primùm, vt illud ἵνα, Vt, sit loco ὥστε, ita vt ne quis gloriatur.

Et ita quidam volunt esse amplificationem modi, quo seruamur, per gratiam scilicet & non ex operibus, vt talis sit sensus: vsque adeò sola gratia ac dono Dei seruati estis, & non ex vobis, aut ex operibus vestris: vt nemini vestrum relictum sit aliquid, vnde in caussa salutis suae gloriari possit. Potest etiam accipi, vt sit caussa finalis, nempe cur Deus hoc nos seruet modo, non ex operibus nostris, sed ex gratia sua: nimirum, vt ne quispiam nostrum gloriari possit vllo modo in negotio salutis, quasi aliquid de suo ad sui salutem attulerit. Quae interpretatio mihi magis placet: quia consentanea est cum alijs locis scripturarum, quibus docemur, Deum ideo voluisse solum Christum esse nostram iustitiam, sapientiam, sanctificationem, redemptionem, vt ne quis in seipso gloriatur, sed in solo Domino [1 Cor. 1.]. Item *conclusisse omnia sub peccato, vt omnium misereretur*: & ita soli Deo daretur gloria salutis nostrae.

Et sic etiam Roman. 3. Idem concludit Apostolus, dicendo: vbi igitur est gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? operum? non, sed per legem fidei. Summa est, ideo Deum permisisse omnes labi in peccata varia, &

voluisse per solam fidem in Christum homines iustificari: vt ne quis posset in seipso gloriari, sed in solo Deo. Quare hinc etiam argumentum deduci potest, quo confirmetur, quod modò dixit, Non ex operibus nos seruari, sed sola gratia: quia scilicet Deus non vult, vt quispiam possit gloriari in seipso de sua salute. Argumentum igitur tale est:

Si homo possit aliquo modo suis operibus seruari: posset etiam habere, vnde gloriaretur in seipso, de sua salute.

Atqui non potest habere, vnde gloriatur in seipso. Deus enim non vult, vt in negotio salutis quis gloriatur in seipso, sed in solo Domino, & in Iesu Christo. Et hanc ob caussam, permisit omnes peccare, omnesque sub peccato conclusit.

Ergo non ex operibus vestris, sed sola gratia Dei, per fidem seruati estis.

Hoc argumentum diligenter retinendum est: quia hoc omnia humana merita, tam ante quàm post iustificationem, refelluntur. Sed colligamus ex textu plures rationes.

Argumenta ex Apostolo

Hominem sola Dei gratia seruari per Fidem.

I.

Fuimus omnes ante conuersionem peccatores, mortuique in peccatis, spiritualiter: ver. 1.

Ergo nihil boni potuimus ad nostri viuificationem praestare.

Quid enim possunt mortui praestare eorum, quae sunt propria viuorum? aut quomodo seipsos vel in totum, vel ex parte viuificare?

II.

Ambulauimus in peccatis, v. 2. Id est totam vitam traduximus in peccatis.

Nihil ergo boni fecimus, quo seruari possemus.

III.

Fuimus filij irae, nostrâ naturâ, v. 3.

Non igitur potuimus ante conuersionem quicquam boni facere, quo placeremus Deo, & seruaremur.

III.

Deus propter multam charitatem, qua dilexit nos, conuiuificauit cum Christo, & conresuscitauit: v. 4. 5. 6.

Non igitur propter opera nostra.

V.

Finis, cur permiserit nos mori in peccatis, & postea per Christum voluerit seruare, fuit, vt qui seculis succedentibus erant futuri, ijs ostenderet summas diuitias gratiae suae: ver. 7.

Atqui summae diuitiae gratiae Dei non fuissent, si per propria opera, aliqua ex parte fuisset seruati.

Non igitur propter opera, sed solabe gratia seruati sumus.

VI.

Gratia sernati sumus: v. 5. & 8.

Atqui gratia non est gratia vllo modo, si non est gratuita omnimodo.

Gratia [page 128] item non est, si aliquo modo nostra accedunt opera, ad idem scilicet officium, nempe seruandi: Rom. 2.

Sola igitur gratia seruati sumus.

VII.

Adictione seruati estis.

Nomine salutis, tota salus intelligitur, nempe etiam resurrectio, & sessio in coelo, id est, plena coelestis vitae possessio: v. 5. & 6.

Tota igitur ex gratia.

Eiusdem argumenti confirmatio.

VIII

Vocatio, iustificatio, glorificatio, effecta sunt aeternae electionis, Roman. 8. Et Ephes. 1. Si igitur electio ex sola gratia est, & non ex operibus: vocatio quoque & iustificatio, & glorificatio, gratuita sint, oportet, eoque tota salus gratuita.

Atqui Electio, ex sola gratia fuit, Ephes. 1. v. 5. 6. 8.

Ergo etiam iustificatio est gratuita.

IX.

A dictione per fidem.

Per fidem seruati sumus, v. 8.

Non ergo per opera: ac proinde sola gratia.

Seruari enim per fidem, est seruari recipiendo, & passiuè: seruari autem, per opera, est seruari dando, & actiuè. Qui enim credit, recipit: qui operatur dat alteri, vel sibi acquirit. Sunt autem haec contraria. Si igitur per fidem seruati sumus, non certè per opera: quare sola gratia.

X.

A dictione, non ex vobis, v. 6.

Quòd vel simus seruati, vel quòd iam crediderimus, neutrum est ex nobis.

Tota igitur salus, & quicquid ad salutem percipiendam necessarium est à sola est Dei gratia.

XI.

A nomine Doni.

Sicut fides recipiens, sic salus recepta, merum est donum Dei: v. 8.

Dona autem Dei, prorsus gratuita sunt; alioqui dona non essent, sed praemia.

Quòd igitur simus seruati per fidem, totum est ex gratuita Dei gratia.

XII.

A negatione, non ex operibus.

Salus nostra non ex operibus nostris, tanquam ex meritis, v. 9.

Ex sola igitur gratia.

Si enim ex operibus, iam non esset gratia: Si ex gratia, iam non ex operibus, Rom. 2.

XIII.

Ex eo quòd ait, Ne quis gloriatur: v. 9.

Si quis possit, vel in totum, vel ex parte, ex suis proprijs operibus seruari: habebit etiam in negotio salutis, de quo possit aliqua saltem ex parte in seipso gloriari.

Atqui hoc nemo hominum habet, nec habere potest, quando ne Abraham quidem pater credentium habuit. Rom. 4. Et Deus vult hanc sibi vni, & redemptori Christo gloriam dari: hancque ob caussam permisit omnes peccare, & conclusit omnia sub peccato, vt omnium miserendo, omnibus materiam gloriandi in seipsis eriperet, & sibi soliseruaret.

Nemo igitur ex operibus suis aut seruatus vnquam fuit, aut seruari potest: Sed ex sola gratia, per fidem recepta, ne quis gloriatur: Sed si quis velit gloriari, in Domino gloriatur, non in seipso.

XIII.

Ex eo quod ait, *ipsius enim factura sumus*.

Bona opera fieri non possunt nisi à renatis, factisque in Christo nouis creaturis, v. 10. Vnde & Christus. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*: Item, *Sine me nihil potestis facere*.

Ergo ante conuersionem & regenerationem nemo dici potest ex suis operibus, aliquo modo seruari.

XV.

Ex dictione, *Quae praeparauit*.

Si quid bonorum operum praestare debemus, illud prius à Deo in nobis praeparetur, necesse est: v. 10. Preparat autem, cùm ipse per suum Spiritum, & illuminat intellectum, ad cognoscendum, quid Deo placeat, & mouet voluntatem, vt illud velit, & dat vires vt illud perficiamus, iuxta illud Phil. *Ipse operatur in nobis, & vt velimus, & vt perficiamus*.

Atqui hoc non facit nisi in ijs qui renati sunt in Christo, vo. Et quidem etiam pro sua bona voluntate & gratia, vt Apostolus ad Philip. docet.

Quomodo igitur quis ante regenerationem dici vllo modo potest, ex suis operibus seruari.

Sed neque post regenerationem posse, Hoc argumento, à fine, cur Deus bona opera in nobis renatis praeparet, id est excitet, & efficiat, vt ea faciamus, ducto euincitur.

XVI.

Deus in renatis praeparat bona opera, non vt per illa tanquam per merita nostra seruemur, hoc enim nullibi dicit scriptura: *Sed vt in illis ambulemus* (inquit Apostolus) v. 10. id est, vt totam vitam nostram in illis, securi iam de salute per solum Christum, perque Dei gratiam, transigamus: ad gloriam nimirum Dei, ad vtilitatem & aedificationem proximi, atque vt declaremus nos verè esse viuificatos in Christo, factosque nouas creaturas. Et denique etiam, vt per ea tanquam per rectas semitas in aeternae haereditatis possessionem inducamur.

Nemo igitur ex operibus, tanquam ex meritis seruari potest.

Quare sola gratia Dei seruatur, quicunque seruatur: vt meritò dixerit
Apostolus: *Gratia seruati estis per fidem, & hoc non ex vobis.*

[page 129] Haec argumenta obseruaui in Apostoli contextu. Scio ad pauciora posse contrahi: sed quando ipse Apostolus, quod poterat vno verbo dicere, maluit multis explicare, quo melius doctrina salutis mentibus nostris infingeretur: neque ego sum culpandus, quòd hunc contextum in multa argumenta resoluerim. Nam hoc etiam facio, vt praemonstrem viam fidelibus, atque inprimis Theologiae studiosis, examinandi singula in sacris literis.

[Ver. 10.] Nunc versus hîc io, qui de bonis est operibus, examinandus nobis est.

Primum illud, γὰρ, *Ipsius enim sumus factura*: cuiusnam rei sit probatio, antea dictum est: nimirum primariae propositionis Apostolicae, Ephesios non esse seruatos ex operibus, quae fecerint ipsi, bonis & iustis, sed ex gratia Dei per fidem: Ratio, quia quòd nunc ad Christum conuersi bona faciant opera, haec ideo faciunt, quia per gratiam regenerati sunt, facti noua creatura in Christo, & quia Deus ea in illis praeparauit, & operatur. Non igitur ante conuersionem potuerunt ex operibus seruari, cùm ne ea quidem facere potuerint. Nam antequam nos possimus bona opera nostra facere: necesse est, fiamus nos opus Dei.

Sed neque post regenerationem, ex operibus bonis quae agimus, expectandum est salutis complementum: quia non in eum finem ea Deus nobis praeparauit, & operatur. in nobis, sed vt in illis ambulemus, vitamque nostram totam transigamus ad ipsius gloriam, iuxta illud Christi, *Sic luceat lux vestra, vt videant vestra bona opera, & glorificent Patrem, qui in coelis est* [Matt. 5.].

Et illud Apostoli, *Siue editis siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10.

Caeterùm versus iste, praeterquam quòd confirmationem habet praecedentis doctrinae, vt modò vidimus: summam etiam doctrinae de bonis operibus

continet: & commodum superiori de salute ex sola gratia, & per solam fidem, subiecta fuit ab Apostolo haec etiam doctrina de bonis operibus, contra calumnias Pseudoapostolorum, qui per doctrinam Apostolicam de salute ex sola gratia per fidem, vociferabantur bona euerti opera. Apostolus igitur ostendit, non ita se rem habere: imò stabiliri, quia non fiunt nisi à renatis in Christo, & in quibus ea praeparat, operaturque Deus per suum Spiritum: sed & alia esse illa bona opera, in quibus Deus vult nos ambulare, quàm ipsi legis doctores praedicent; & alium etiam esse bonorum operum vsum, quàm illi putent & doceant,

Sunt autem capita septem, quae hîc habemus ab Apostolo, de bonis operibus.

1. *Primum* ex sententia totius versus colligitur: Est autem hoc, per doctrinam gratiae & Fidei, non tolli aut extenuarii bona opera, vt iam vidimus: imò stabiliri, quia non possunt fieri nisi ab ijs, qui gratia Dei, per fidem sunt seruati. Ideo sequitur

2. *Secundum*, à quibusnam bona fiant opera: à iustificatis tantùm, renatisque, & factis noua in Christo creatura: sicut etiam boni fructus non nisi à bona arbore fieri possunt.

Et hoc habemus in primo membro, & secundo. Primum enim membrum est illud, *Ipsius enim factura seu opus sumus*: Secundum, creati in Christo Iesu.

3. *Tertium caput est*, Vndenam sit facultas bona opera faciendi: ab eo, à quo etiam fimus nouae creaturae, nempe à Deo. A quo enim habet arbor, vt sit bona: ab eodem etiam habet, vt bonos proferat fructus. Et hoc, membro primo, *Ipsius enim factura sumus*.

4. *Quartum*, in quonam propriè opera nostra verè bona sint, placeantque & grata sint Deo: In eo, nimirum in quo & fimus nouae creature, & nostrae placent personae, nempe in Christo. Sicut enim nos, quia nondum perfectè sumus renati, & pristinam Dei imaginem consecuti, non possumus vero placere Deo, nisi in persona Christi, sic neque opera nostra aut verè bona sunt, aut placent Deo, nisi in Christo, & propter Christum. Et hoc docet membro secundo, dicendo: *Creati in Christo Iesu*.

5. *Quintum*, In quemnam finem regeneremur, fiamusque nouę creaturae: non certè vt otiemur, aut vt secundum carnem viuamus, sed vt bona faciamus opera: Sicut etiam in hunc finem bonae fiunt, & plantantur arbores, vt bonos proferant fructus: Et hoc tradit membro tertio, dicendo, *ad bona opera*, nempe creati sumus in Christo.

6. *Sextum*, quaenam sunt bona renatorum in Christo opera: non certè quae sibi deligunt homines, aut etiam quae renati agunt ex infirmitate carnis suae, sed quae Deus ipse per suum Spiritum in nobis praeparat, & facit vt faciamus: hoc est, qui sunt veri fructus spiritus: Et hoc tradit membro, quarto, dicendo, *Quae praeparauit προητοίμασεν ὁ θεός*.

7. *Septimum*, Ad quem finem praeparet Deus in nobis bona opera, ac proinde cur velit ea à nobis fieri: non vt per illa iustificemur, vitamque aeternam promereamur: sed vt in ijs ambulemus, sicque nos verè vsuos esse & renatos testificemur, eoque is qui nos regenerauit, quique illa in nobis praeparauit & operatur, glorificetur, perque illa pergamus rectà semper, donec in aeterna recipiamur tabernacula. Hoc docet vltimo membro, dicendo, *Vt in iis ambulemus*.

De quibus singulis capitibus postea seorsum fusius suo dicemus loco.

In praesentia, verba tantùm percurremus.

[page 130] *Ipsius factura seu opus sumus, creati in Christo Iesu.*

[Obser.] Cùm supra dixerit ad Ephesios, *Vos gratia seruati estis per fidem, non ex vobis, nec ex operibus* (vestris) *ne quis gloriatur*: Hic verò probans quod dixerat, mutet personam, & dicat, *Ipsius enim sumus* (scilicet omnes etiam nos Iudaei ad Christum conuersi) *factura*: manifestè docet, quod concluderat de Gentibus, idem quoque de se omnibusque piis Iudaeis voluisse esse conclusum: neminem scilicet seruatum esse seruare posse ex operibus legis, sed omnes sola gratia Dei per fidem in Christum seruari: ac proinde non esse, cur Ephesij sinant se seduci à Doctoribus legis, quasi ea sit ad salutem necessaria, quando neque ipsis Iudaeis prodesse potuit ad salutem: contineant igitur se in fide Christi, per quam solum seruati sunt omnes, tam Iudaei, quàm Gentiles. Admiranda est prudentia Apostoli in scribendo. Non

sine caussa mutauerat personam, solis Gentibus dicens, *Vos seruati estis Gratia per fidem*, vt supra vidimus: sed neque sine caussa hîc denuò mutat. Ne putemus igitur Apostolum quidpiam scripsisse temerè aut imprudenter, vel tantùm propter elegantiam sermonis, mutare personas, aut aliud quid scripsisse.

[2. Observ.] Obseruandum & illud, quòd probaturus neminem ante conuersionem ad Christum, posse bona opera facere, eoque nec per illa seruari, non dixit, *Deus enim iuuabit vos, vt possitis bona opera operari*, quasi potuerint & ipsi aliquid adferre à suo ad bona opera facienda, modò Deus aliquid auxiliij attulisset: sed ait, se iam esse opus Dei, & creatos in Christo significans tunc temporis, cùm scilicet essent extra Christum, eos nihil fuisse aut potuisse ad salutem quod attinet, operari. Supra dixerat fuisse mortuos: hic innuit, eos nil fuisse, quia iam sint opus & creatura Dei Creatio autem ex nihilo fit. Ergo hic etiam magis ac magis deprimit vires liberi arbitrij in homine non renato: quia homo non renatus, est ceu nihil. Sic Iohan. 3. *Oportet nasci denuo*.

[3. Observ.] Docet etiam renascentiam totam esse è supernis, & opus Dei: nil igitur ad illam valent praeparationes nostrae, & vires nostrae, aut opera nostra. Quis enim seipsum fecit vel creauit? Summus igitur opus Dei, non hominum.

Caeterùm ne putaremus Apostolum loqui de primo opere Dei, deque prima creatione, qua scilicet omnes nos creat in vteris maternis: adiunxit, *Creati in Christo Iesu*. Duplex est creatio hominum: prima & secunda, Et vtraque in Christo, & per Christum. Prima, Deus creauit omnia per λόγον; Secunda, creat nos spiritualiter per eundem λόγον: idque vt simus boni, & seruemur in vitam aeternam: de qua plenae sunt scripturae. Vtramque tamen debemus acceptam ferre Christo: in quo creati, & recreati sumus.

[4. Observ.] *Creati in Christo ad bona opera*. Hinc sequitur.

Primùm, Quicumque renati sunt in Christo, non ad otium, vel ad mala opera, sed ad studium bonorum operum destinatos esse: Et ita finis regenerationis est studium sanctitatis. Sic Luc. I. Zacharias de fide redentionis dixit, *Visitauit & redemit plebem suam: vt sine timore, de manu inimicorum*

nostrorum liberati, seruamus illi, in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus nostris. Sic ad Titum 3. Apparuit benignitas Saluatoris nostri, non ex operibus iustitiae quae fecerimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae: vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, piè & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi. Falsum igitur est, per gratiam & fidem tolli simpliciter opera bona. Tolluntur officio, sed non re, officium enim gratiae & Fidei, non conuenit, operibus.

Secundò, sequitur, nisi quis fiat opus Dei, eum non posse facere opera sua bona. Nam illi soli ad opera bona creati sunt, qui opus Dei sunt, id est, noua creatura. Nemo autem fieri potest opus Dei, nisi in CHRISTO & per CHRISTVM recreetur, id est, regeneretur. Quicumque enim recreantur, in CHRISTO recreantur. Ideo etiam Apostolus ait, Si quis est in Christo, noua est creatura. [2 cor. 5.17.] Fuit enim hoc aeternum Dei consilium, vt omnia per Filium fierent, & refierent, crearentur, & recrearentur: omnia inquam, id est, quae refiunt, & recreantur, per vnum Christum refierent, & recrearentur.

Illud, Quae praeparauit Deus.

[5. Observ.] Ambrosius & Augustinus de praeparatione aeterna, id est, de prædestinatione interpretantur. Sed nihil ad rem. προητοιμασεν, ab ἔτοιμαζω, quod est promptum paratum & expeditum reddo, multum differt à verbo προορίζειν, & praedestinare, praeparareque ab aeterno. Rem ipsam admitto, nos ad ea bona opera esse in Christo creatos, id est, regenitos, ad quae etiam suimus ab aeterno electi, pro sua quisque vocatione: alius ad opus Apostolatus, alius ad opera politica, alius ad alia, omnes verò ad opera Fidei, sanctitatis, & charitatis, quò & illud spectat, *Et crediderunt quotquot praeordinati fuerunt ad vitam aeternam* [Act. 13.]: Sed ad mentem Apostoli, hoc in loco, nihil perrinere videtur: non enim ait, præparatos fuisse ad opera: [page 131] sed opera ipsa praeparata esse. Alij itaque referunt ad legem moralem, vt sit sensus, illa esse bona opera, quae in lege morali praescripsit Deus: quòd ita perstringere voluerit Apostolus illos, qui ceremonias vrgebant: Alij ad cuiusque vocationem referunt, quòd illa sint bona opera: ad quae

quisque à Deo vocatur, & praeparatur. Alij aliter interpretantur. Sed (vt ante dixi) Apostolus videtur loqui de praeparatione, qua Deus per suum Spiritum disponit & afficit, promptamque facit mentem, voluntatem & cor nostrum ad opera bona, tam omnibus Christianis communia, quàm cuiusque vocationi propria.

Persistit enim in hoc, vt ostendat, quicquid boni in nobis est, aut à nobis fit, totum illud esse à gratia Dei per fidem in Christum. Proinde hunc locum explico per illum ad Philip. *Deus operatur in nobis velle, & perficere* [Phil. 2.]: seu vt velimus & perficiamus. Et per illud Ierem. *Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant me.* Item, *Scribam legem meam in corda eorum.* [Jer. 31.] Et alibi, *Faciam vt ambulent in praeceptis meis.* Dum enim ita nos disponit & idoneos facit ad bona opera: ipsa opera praeparat in nobis. Ac mihi videtur haec particula opponi illi, qua dixit v. 2. Ephesios ambulasse in peccatis secundum principem potestatis, & spiritus operantis efficaciter in filijs contumaciae. Contrà igitur hic docet illos ambulare in bonis operibus, quae Deus efficaciter in eis praeparat, id est, prompta & expedita & factu facilia in eis efficit per suum Spiritum sanctum, inque eis operatur. Tria enim hîc paucis verbis tradit Apostolus, Primùm, Deum suagratia nos ex mancipijs Diaboli, facere opus suum, in Christo, quasi è nihilo nos creando, nouasque creaturas faciendo: Deinde tales nos in Christo creari, non ad otium, sed ad bona opera facienda nouis creaturis digna: Tertiò, nec solùm ad haec nos creasse & ordinasse, sed etiam ea ipsa opera in nobis per suum Spiritum prompt, & facilia efficere, illuminato intellectu, flexa voluntate, purgato corde, suppeditatis viribus ad ea promptè, expeditè & libenter praestanda: Ideo subdit quorsum spectet haec praeparatio, *Vt (inquit) in eis ambulemus*, id est, vt reipsa in bonis istis operibus transigere vitam nostram facillè possimus. Hic mihi videtur esse verus ac genuinus sensus. Dicitur ergo bona opera praeparare, nempe in nobis, vt in suis principijs, dum suo Spiritu mentem illuminat, cor purgat, voluntatem flectit, viresque & facultatem in eis ambulandi suppeditat. Non solùm autem Deus suppeditat vires, nosque idoneos facit ad bona opera facienda, & ad vocationis nostrae munia perficienda: verùm etiam comitatur, regit, adiuuat, ac operatur in nobis in finem vsque, iuxta illud Philipp. *Qui incepit in vobis bonum opus, illud perficiet in finem vsque* [Phil. 1.]: Eoque felices successus dat operibus nostris. Ita omnibus istis modis dicitur Deus προετοιμάζειν bona in nobis

opera, quia efficit vt in illis promptè, laeto animo, & expeditè ambulemus, id est, vitam nostram traducamus.

[6. Observ.] Causas salutis nostrae denuò hic à Paulo indicari: efficientem primam, quia Deus nos facit opus suum, & reformat: causam efficientem secundam ac proximam, quia Christus hanc regenerationem, tanquam mediator promeritus est, & nos in ipso vt in capite, & per ipsum reformamur: formalem, quae est ipsa regeneratio: & finalem, quia in hunc finem regenerat, & ad bona opera creat, eaque praeparat in nobis, vt in eis reipsa promptè, libenter, & constanter ambulemus, totamque vitam nostram transigamus.

PARS ALTERA CAPITIS SECVNDI.

II. *Quapropter mementote, quòd vos quondam Gentes in carne, qui vocamini* (ο λεγόμενοι) *praeputium* (omnes enim Gentes adhuc etiam tunc ita vocabantur in Israel) *Qui vocamini ergo praeputium, ab ea quae vocatur circumcisio in carne (&) quae manibus fit: Mementote inquam*

12. *Quòd (vos) eratis in tempore illo, sine Christo, abalienati à Repub. Israelis, & extranei à pactis* (seu à Testamentis) *promissionis, spem non habentes, & ἄθεοι in Mundo.*

Syriac. in vers. 11. illud ἐν σαρκί, Gentes in carne, habet carnis, id est, qui fuistis carnales, seu toti caro.

In vers. 12. illud τῆς πολιθείας Israëlis, vertit Conuersationem, *Alieni eratis à conuersatione Israelis, id est, quibus cum Israele nihil commune erat in iis, quae ad religionem pertinent.* Scholia sensum vtriusque versus sic exprimunt paucis, θέλει εἰπεῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκρόβυστοι ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις, ἀλλότριοι ἦτε τοῦ θεοῦ, καὶ ἐπαγγελίων: Id est, *erratis sine Deo propitio: quia sine Mediatore: eratis extra Ecclesiam, eoque sine verbo Dei.*

13. *Nunc autem in Christo Iesu, vos qui quondam erratis longè* (μακρὰν pro longinqui) *propè* (ἐγγὺς, pro propinqui) *facti estis, in sanguine Christi, id est, per sanguinem Christi.* Medium enim ostendit, per quod facti sint propinqui: per sanguinem Iesu Christi, quia per illum sublatae inimicitiae, vt postea

explicabit. Hoc autem contigit illis, cū in Christo fuerunt, id est, per fidem Christo insiti. Ita placet primum vertere, [page 132] vt sonat, in Christo Iesu: alterum, *Persanguinem Christi*.

14. Ipse enim est pax nostra ἡμῶν (quasi dicat, nostri omnium) qui fecit vtraque vnum.

Sic etiam Syrus: *vtrosque. Alij, ex vtrisque vnum. Et (qui) intermedium parietem maceriae soluit: inimicitiam in carne sua, id est, per Crnem suam.*

Μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ: vocant Latini, intergerinum parietem, quo scilicet domus vna à domo alia diuiditur. Et φραγμὸς à verbo φράττω, quod est sepio, ideo septum & sepem seu maceriem significat.

Syrus explicat dicendo: *Et dissoluit maceriem, quae erecta stabat in medio.* Sic ille. Haec autem fuit lex de ritibus & cultu: ideo subdit:

15. Legem mandatorum in decretis (sitam) abrogans: vt duos conderet (crearet. in semet ipso in vnum nouum hominem, faciens pacem.

Syr sic legit *Et inimicitias per carnem suam, & legem mandatorum cum mandatis eius aboleuit: vt vtrosque conderet in semet ipso in vnum filium hominis nouum, & fecit pacem.*

Beza etiam à superiori versu seiungit illam intergerini parietis explicationem, & coniungit cum ver. 15. sic legens.

Inimicitias, id est, lege mandatorum, quae in ritibus posita est, per carnem suam abolitis: vt ex duobus illis conderet in semet ipso vnum nouum hominem, faciens pacem.

16. Et vt reconciliaret vtrosque in vno corpore, Deo per crucem perempta inimicitia per eam.

17. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè (id est, qui longinqui eratis) Et ijs qui propè (id est, qui propinqui erant) hoc est Gentibus & Iudaeis.

18. *Quia per illum habemus adductionem vtrique in vno Spiritu ad Patrem.*

Syrus: *Quoniam per ipsum facta est ascensio nobis vtrique in vno Spiritu ad Patrem.* Beza etiam vertit, προσαγωγήν aditum seu accessum.

19. *Igitur non amplius estis hospites & incolae (alij inquilini) sed (estis) conciuēs sanctorum, & domestici Dei.*

Syr habet, *Filij ciuitatis sanctorum, et filij domus Dei: pro ciues, et domestici,* Hebraica phrasi.

20. *Superstructi (seu, superaedificati) super fundamentum Apostolorum & Prophetarum: Existente (ad verbum) summo (alij, immo) angulari lapide, ipso Iesu Christo. Seu (vt alij vertunt) cuius (scilicet fundamenti) imus angularis lapis, est ipse Iesus Christus.*

Syr. *Et aedificati estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Et ipse factus est caput anguli aedificij, Iesus Christus.*

21. *In quo omnis structura, seu totum aedificium congruenter coagmentatum crescit in templum sanctum in Domino.*

Συναρμολογουμένη. ἀρμόζομαι, est coaptor: ἀρμολογοῦμαι, rationabiliter & congruenter coaptor:, συναρμολογοῦμαι igitur, est vnà cum alijs congruenter aptor, & accommodor in edificio.

Syrus: *Et per eum (Christum lapidem angularem) coniungitur totum aedificium, & crescit in templum sanctum in Domino.*

22. *In quo & vos coaedificamini (nempe nobiscum vnà aedificamini) in habitaculum Dei (id est, vt sitis habitaculum Dei) per Spiritum (sanctum.)*

Syrus coniungit cum superiori versu hoc modo, *Totum aedificium per Christum crescit in templum sanctum in Domino: Dum & vos in eo aedificamini in habitaculum Dei per Spiritum.*

[Explicatio textus 5.11.] Hactenus tam de Gentibus, quàm de Iudeis, duo conclusit: vnum, omnes ex aequo fuisse mortuos in peccatis, & naturâ filios irae, id est, aeternae damnationis haeredes: alterum vtrosque ex aequo per misericordiam Dei in Christo viuificatos esse, & iam in coelo cum Christo, & in Christo sedere: eoque nullis ipsorum meritis, sed sola Dei gratia per fidem in Christum seruatos esse, & iure aeternae vitae donatos: vt iam illis nil aliud restet cogitandum, quàm vt facti iam nouae creaturae in Christo ambulent, id est, totam vitam transigant in illis bonis operibus, ad quæ sunt in Christo recens creati, & quae illis praeparauit Pater facienda: vt per hæc tum Deus glorificetur, tum proximus aedificetur, tum ipsi in possessionem aeternae coelestisque haereditatis perducantur.

Nunc eandem doctrinam ad Gentes speciatim applicando, & peculiarem illorum statum, in quo antea fuerant, cum praesenti conferendo, demonstrat, Ephesios habere aliquid amplius caussae, cur memores tanti beneficij debeant gratiam habere Deo per Christum, & in eius fide perseuerare. Ea ratio haec est: quia cùm Gentiles magis procul abessent à Deo, quàm Iudaei (ij enim comparatione illorum, erant propinqui Deo) attamen tam illos, quàm hos collegit sub se tanquam sub vno capite Christus, & diruta macerie, qua populus gentilis arcebatur ab Ecclesia, coniunxit illos cum populo Dei, & fecit ciues Sanctorum, & domesticos suos, imò membra sua per Spiritum sanctum. Magis autem procul fuisse Gentes à Deo, eoque in statu miserabiliore, quam fuerint Iudaei, hinc demonstrat: quia ad externa quod attinet, (nam internè, omnes ex aequo fuisse filios ire, & contumaciae, superiori parte demonstratum fait) quia igitur ad externa quod attinet, Iudæi habebant foedus cum Deo, habebant promissiones de Christo seruatore, habebant oracula Dei sacrasque literas, & Sacramenta, eoque erant Ecclesia ipsa Dei, Gentiles verò erant sine Christo, sine promissionibus, sine Deo, in Mundo: idcirco concludit Apostolus, Iudæos fuisse propinquos, Gentiles autem longinquos à Deo, & à salute. Cum autem collecti & ipsi sint à Christo in vnum [page 133] corpus cum Iudaeis, & sub vno capite, quod est Christus ipse, & per eundem Spiritum simul viuificati, Deo vniti, & Ecclesiae consociati: habent cur gratias agant Deo, & cur debeant manere in fide Christi constantes. Hic est Scopus Apostoli & hic, & in tota Epistola. Vbi interim obseruandum est, Apostolum hîc incipere explicare id, quod vno verbo dixerat cap. 1. ver. 10. De officio Christi, nempe aeternum Dei decretum fuisse, vt in plenitudine temporum, Christus restauraret, & recolligeret omnia

in vnum corpus, tam quae in coelis, quàm quae in terris. Nunc describit Apostolus ex parte, hanc ἀνακεφαλαίωσιν: cùm narrat, per quem, & quomodo, non solùm Iudaei, qui propter peccata diuisi erant à Deo, denuò fuerint recepti in gratiam, sed imprimis Gentes, quae auulsae erant à Deo, & separatae ab Ecclesia, tum reconciliatae sint Deo, tum consociatae Ecclesiae Dei, ita vt omnes tam Iudaei, quàm Gentiles in vnum Ecclesiae corpus sub eodem capite coierint.

Omnes mortui cùm essent in peccatis, fuerunt auulsi à Deo fonte totius vitae, tam Iudaei, quàm Gentiles: fuerunt etiam auulsi à se inuicem per Legem, vnum populum ab altero diidentem, vnde ortae erant inimicitiae inter ipsos: Haec fuit ἀνακεφαλαίωσις vtriusque populi: quam descripsit partim initio capitis, & partim hîc v. 11. & 12. de Gentibus speciatim loquens: At per Christum tollentem peccatum, & inimicitias, legemque & eius maledictionem abolentem, omnes fuerunt recollecti, adglutinati Deo, & sibi inuicem consociati in vnum corpus, imò in vnum tantummodò hominem. Haec fuit ἀνακεφαλαίωσις, quam partim supra, sed maximè hîc manifestè, & luculenter describit.

[Partitio.] Nunc tenemus scopum & summam eorum, quae hîc agit Apostolus. Ita duo sunt praecipua capita huius partis: Caput primum, quo describitur specialis Gentium auulsio a Deo, & ab Ecclesiae corpore: ver. 11. & 12. Et caput secundum, quo explicatur eiusdem populi, tum cum Deo, tum cum corpore Ecclesiae conglutinatio, & ἀνακεφαλαίωσις: à ver. 13. in finem vsque. Caeterùm quia hoc etiam caput vbi explicatur reconciliatio cum Deo, & cum eius Ecclesia, varia habet membra, ideo maioris perspicuitatis caussa, totam hanc partem, seco in quatuor particulas: quarum prima continetur duobus prioribus versibus, 11. & 12. In hac demonstratur magnitudinem beneficij, quod per Christum acceperunt, quia consociati sunt Deo, & Ecclesiae eius: describit miserabilem statum, in quo antea fuerant, & quot quantisque bonis fuerint priuati.

Secunda continetur v. 13. 14. 15. 16. In hac describit per quem, & quomodo reconciliati fuerint Deo, adeoque & cum eius familia, cum populo scilicet, seu Ecclesia Dei: & per Christum, inimicitias suo sanguine tollentem, eoque legis maledictum, & litem abolentem.

Tertia, continetur ver. 17. & 18. in qua describitur, quomodo beneficij per Christum parti, antea descripti, facti fuerint participes: per Euangelij scilicet praedicationem, qua non solùm Iudaei, qui erant propè, sed etiam Gentes, qui erant procul, ad Christum vocati sunt, & in eius Ecclesiam asciti.

Quarta, vers. 19. in finem vsque: In qua conclusio continetur eorum, quae praedicta sunt: Gentiles ad Christum vocatos, & in Ecclesiam ascitos, iam non esse amplius aduenas & peregrinos: sed ciues sanctorum, domesticos Dei, & Ecclesiam ex Iudaeis & Gentibus simulliam constantem: Et qualis sit haec Ecclesia, quomodoque à Christo semper viuificetur, sustentetur, in finem vsque seruetur, & in quem finem.

Haec summa est beneficij, per sanguinem Christi, nobis Gentibus parti: pro quo vult Apostolus nos perpetuò benedicere & laudare Deum per Iesum Christum, quòd omni benedictione spirituali nos benedixerit in Christo.

Finis enim totius huius narrationis, & beneficiorum Dei in Christo explicationis, est cumprimis ille, de quo in capite 1. Benedicendum esse Deum, quòd benedixerit nos: Benedicendum inquam corde, lingua, opere, seu studio sanctitatis.

Nunc singulas particulas & versus percurro: Et quae inde colligenda sit doctrina, demonstro

[Ver. 11.] *Quapropter mementote, quòd vos quondam Gentes, in carne, οἰλεγόμενοι praeputium ab ea quae vocatur circumcisio, in carne manu facta.*

[Ver. 12.] *Mementote inquam, Quòd vos quondam Gentes eratis in tempore illo, &c.*

Summa est. Vult Paulus, vt Ephesij, & nos in ipsis, memoria perpetua teneamus tum miserum statum, in quo fuimus antequam per gratiam Dei, perque fidem seruaremur: tum ipsum Christi beneficium grato animo recolamus. Ac primùm de statu priori nostro, agit, dicendo: Mementote, &c.

Huius autem memoriae finis est, vt hinc melius etiam beneficium Christi, quod sola Dei gratia per fidem consequuti sumus, intelligamus, & gratiam Dei ne contemnamus. Proinde notanda est particula, Διό propterea, seu, *Quapropter mementote.*

Pendet igitur haec adhortatio à superioribus. Quid autem concluderat? Nos gratia Dei, sine operibus nostris, per solam in Christum fidem, seruatos esse: ita vt si quid etiam bonorum operum nunc faciamus, totum illud sit à gratia Dei, qui nos fecit opus suum, & recreauit in Christo, bonaque opera in nobis praeparat, vt in eis ambulare possimus.

[page 134] Cùm igitur hoc singulare sit & immensum Dei beneficium per se, meritò debetis, Ephesij, grata memoria cogitare, quales antea vestrâ naturâ fueritis, vt melius quales iam sitis per gratiam Dei, intelligere valeatis: eoque & gratos vos Deo praeberetis, & vt in hoc praesenti statu perseueretis, operam dare, facilius possitis. Haec est vis illius particulae, Διό, quapropter.

[Observ. 1.] Hinc docemur, quòd plura & maiora post conuersionem ad Christum, beneficia accepimus à Deo per ipsius gratiam: eò magis nos debere, nostrorum maiorum in quibus ante conuersionem fuimus, miserique status, vnde liberati sumus, meminisse. Quorsum verò haec memoria? Ne insolescamus, neue gloriemur: sed semper humiles viuamus in conspectu Dei, & Ecclesiae: qui est primus salutis gradus. Hinc etiam gratia Dei illustratur. Ideo etiam Paulus semper meminerat status sui, quum persequeretur Christum.

[Observ. 2.] Vnde etiam discimus veram & Christianam sapientiam, in his duabus rebus consistere, in cognitione nostri, id est, miseriae nostrae, infelicisque naturae, & in cognitione Dei, beneficiorumque eius erga nos: quando etiam Apostolus vtramque cognitionem quam diligentissimè hîc commendat Ephesijs: *Mementote, quòd fuistis Gentes, praepotium, sine Christo: Nunc autem per Christum vos qui erratis longi facti estis, propè.*

Ponit autem primùm propositionem breuem, vers. 1. Deinde illam per partes explicat, vers. 12.

Propositio haec est, Vos quondam eratis Gentes in carne, & praeputium: Sed quid hoc significat? Sequitur Explicatio per partes principales: Eratis sine Christo, alieni à Republica Israël, extranei à pactis promissionis, spem non habentes, ἄθεοι in mundo: Enquid sit esse Gentes & Praeputium: ijs enim duobus nominibus vocabantur omnes, qui non erant ex Israël, & de populo Dei.

Ad propositionem igitur quod attinet, duo illis in memoriam reuocat: vnum quòd fuerint quondam Gentes in carne, nempe vnà cum alijs etiam Gentibus, quae adhuc sunt Gentes in carne. Vtitur enim titulo quo omnes Ethnici, & qui erant extra Ecclesiam Dei, appellari solebant, nempe Gentes in carne.

Quid autem est esse Gentes in carne? Ambrosius interpretatur carnales esse. Et sic Apostolus omnes non renatos, ait esse in carne. ad Rom. 8. *Qui in carne sunt* (id est, non renati, & vinentes secundum carnem) *Deo placere non possunt*: Esse autem in Spiritu eos vocat, qui renati sunt: ideo subdit ibidem, *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu. Siquidem Spiritus Dei habitat in vobis*. Christus vocat simpliciter carnem, Ioh. 3. *Quod natum est ex carne, caro est*. Ita esse in carne, & esse carnem, idem sunt.

Quid igitur est esse Gentes in carne? nil aliud, quàm esse homines Deo abominabiles & inuisos: iuxta Pauli interpretationem, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*: Eoque est esse filios irae & perditos.

Quare quòd quidam interpretantur *in carne*, id est, secundum carnem: non potest hîc quadrare. Ait enim, *quondam eratis in carne*: Significans, nunc igitur non esse amplius in carne. Atqui etiam post conuersionem, erant Ephesij Gentes secundum carnem, quia nati ex Gentibus quoad carnem.

[2. Praeputium.] Alterum, quod in hac propositione dicit, est; ita Gentes solitas fuisse vocari praeputium: vt qui etiam ad Christum conuersi sunt, si non admittant circumcisionem, seque toti legi subijciant, ij à nonnullis soleant etiamnum vocari praeputium, quasi execrabiles & immundi. A quibus nam ita vocantur, etiam in Ecclesiam asciti? non quidem ab omnibus Iudaeis, sed ab illis tantùm, qui circumcisi sunt in carne tantùm, non autem in corde. Nam qui verè pij erant inter Iudaeos, non vocabant fratres ex Gentibus, praeputium, seu incircumcisos: agnoscebant enim eos esse verè circumcisos,

nempe in corde: sed illi tantum hoc nomine per contumeliam eos appellabant, qui tantum circumcisi erant in carne, circumcisionem cordis ignorantes. Hoc est quod ait, οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία, *ab ea quae dicitur circumcisio in carne.*

Nam quod tunc, etiam conuersos ad Christum fratres ex Gentibus, falsi & carnales Iudaei, hoc nomine appellarint, eoque habuerint eos pro execrabilibus & immundis, hinc liquet.

Primò, quia Pseudoapostoli vrgebant circumcisionem Gentibus, dicentes, illos non posse seruari, nisi circumciderentur, vt Paulus testatur Act. 15.

Secundò, inde, quia Petrus fuit ab illis, qui erant ex circumcisione reprehensus, quod ingressus fuerit ad eos, qui habebant praeputium (id est, in domum centurionis) [Act. 11.] quem tamen audierant credidisse in Christum: ita inquam ea de re contenderunt cum Petro fratres, qui erant ex circumcisione, vt opus ei fuerit longa apologia. Constat igitur Apostolum non exprobrasse Ephesijs, quod fuerint incircumcisi, cum adhuc etiam haberent praeputium: sed narrasse, quam obminabise esset apud Iudaeos nomen praeputij, nempe ita vt etiam nunc quicumque non circumciduntur, vtut conuersi ad Christum sint, per contumeliam vocentur praeputia, id est, Deo execrabiles, dignique qui excindantur. Simul verò etiam perstringit illos Iudaeos, à quibus fratres ex Gentibus vocabantur praeputium: quod scilicet tales Iudaei, hypocritae essent, habentes circumcisionem duntaxat in carne, [page 135] carentes autem circumcisione cordis: Nam significare voluit illa antithesi, Gentes in carne, & circumcisionem in carne, Iudaeos illos non minus carnales esse, quam olim fuerint Gentiles: Eoque illorum iudicium de fratribus ex Gentibus, esse falsum, quod qui circumcisi sunt corde, vti erant fratres ex Gentibus, ideo tamen eos praeputia appellarent, quod carnis circumcisionem non admitterent: sed vtur isti Iudaei fallerentur, sensus Apostoli est perspicuus, Ephesios vnà cum alijs Gentilibus, fuisse quondam immundos & execrabiles in conspectu Dei, & totius Ecclesiae Dei, eoque illorum statum fuisse miserabilem, & infelicissimum. Haec est summa propositionis.

1. Hic primò obseruandum, duplicem esse circumcisionem: vnam carnis, alteram cordis.

Circumcisio carnis, erat illa, quę, (vt hęc docet Paulus) fiebat in carne tantum, & manibus hominum. Haec solis Iudaeis mandata fuerat, nihilque aliud erat quam signaculum iustitiae fidei, vt Rom. 4. docet Apostolus: Et (vt Paulus loquitur) constabat litera, non Spiritu. Et ideo temporaria, vsque ad Christum.

Circumcisio cordis est illa, qua per fidem & Spiritum sanctum corda purificantur: & quae ideo etiam Spiritu constare dicitur: hęcque erat iustitia interna, cuius symbolum erat circumcisio in carne: Ac proinde haec erat anima prioris: & ideo etiam perpetua: Et communis omnibus Electis, tam ex Gentibus, quam ex Iudaeis: de qua praeceptum apertum extat Deuter. 10. & 30. *Circumcidite praeputia cordis vestri.* Hanc volebat Deus per se, alteram propter hanc vsque adeo, vt si, quae in carne fit, careret illa, qua circumciduntur corda: Deus hanc per Prophetas damnaret, & abominaretur: quid ita? quia mera erat hypocrisis. Idem de baptismo, qui successit circumcisioni, sentiendum est: Vnus est Aquae: alter Spiritus: Et ille propter hunc institutus est, ac proinde si baptismus Aquę careat baptismo Spiritus, mera est hypocrisis: Et gloriatio in tali Baptismo, vana est & inanis.

Ex illa duplici circumcisione, tria circumcisorum genera constituebantur: Alij circumcisi tantum erant in carne, vt Iudaei hypocritae: quos etiam hęc perstringit Apostolus. Alij Spiritu tantum, & in corde: vt pij ex Gentibus, vt ante Christum lobus, Naaman Syrus, Cyrus: Et post Christum, Centuriones, Ephesij. Alij vtraque erant insigniti: vt pij inter Iudaeos, Apostoli.

[Observ. 2.] Apostolus improbat ac perstringit illos fratres ex circumcisione, qui ideo Gentiles ad Christum conuersos praeputia, id est, incircumcisos vocabant, quod carnalem circumcisionem non admisissent: & vtut cordis spiritualiqui circumcisione essent ornati. Non dissimiles certę illi Iudaeis sunt, qui nos iam damnant & execrantur, quoniam licet edamus corpus Domini spiritualiter, & per fidem, non tamen admittimus carnalem manducationem, quasi spirituali manducatione non simus vere Christo incorporati. An igitur ipsorum iudicium probetur Apostolo, ex hoc loco manifestum est. Sicut vera circumcisio illa est, quae fit in corde per Spiritum: sic vera manducatio corporis Christi, est quae fit per fidem & Spiritum.

Sequitur Explicatio propositionis: Quid est esse Gentilem, & praeputium?
Docet per partes quinque.

[Ver. 12.]

1. Eratis sine Christo:
2. Alieni à Republica Israëlis:
3. Extranei à pactis promissionis:
4. Spiritum non habentes:
5. Sine Deo, ἄθεοι in mundo.

Quid horribilius, quid infelicius excogitari potest his malis? Talia autem mala sequebantur illos, qui erant Gentes & praeputium. Quid igitur peius, quàm esse Gentilem & praeputium? Tales autem vos fuistis o Ephesij.

Quæstio moueri potest: Quomodo Ephesij iam conuersi, fuerunt aliquando sine Christo, cùm fuerint Electi in Christo, & per Christum in cruce redenti, antequam nascerentur.

Resp. Si Electionem spectemus, fatemur fuisse in Christo electos: si redemptionem, per Christum fuisse redentos: sed de hac re non loquitur Apostolus.

Illi propriè dicuntur esse in Christo, qui Spiritu Christi illi sunt adglutinati, eoque & renati: De qua Rom. 8. *Qui non habet Spiritum Christi, hic non est eius.* Et de hac etiam hic loquitur.

Obseruandus est iste ordo:

1. *Primum* ait, eos fuisse sine Christo.

Sicut habere Christum, est fundamentum bonorum omnium, quia ipse est ianua & ostium in possessionem bonorum, vitæ præsentis & futuræ: Sic carere Christo, initium est omnium malorum, quæ hîc ordine narrantur ab Apostolo, & quæ se inuicem consequuntur. Explico. 1. Qui Christo, Ecclesiae capiti adglutinus est: is etiam toti corpori est associatus, eoque membrum est Ecclesiae, & communionem habet cum sanctis omnibus. Vsque adeò sunt inseparabiles, Christus & Ecclesia, caput & membra: vt Ecclesia

nonnunquam in scripturis Christus ipse appelletur [1. Cor. 12.]: Christus inquam totus & perfectus. Contrà igitur qui Christo non adhaeret: is neque cum Ecclesia habet communionem. Ideo rectè postquam dixisset, *Erratis sine Christo*, subiecit, *alieni a Republica Israelis*, id est ab Ecclesia: quae diuersis respectibus & Respublica, & regnum vocatur.

2. Qui in Ecclesia est, is etiam foedere coniunctus est cum Deo, & habet promissiones de salute vitaeque aeterna. In ea enim sola, verbum Dei purum habetur, syncereque praedicatur: quae est [page 136] nota verae Ecclesiae: vnde columna & firmamentum veritatis vocatur 1. Tim. 2. Tam enim non potest Ecclesia carere verbo, quàm ciuitas legibus: immò quàm corpus viuum, anima. Ergo contrà, qui extra Ecclesiam est, iis verbo, verbique vera cognitione destituatur necesse est. Ideo rectè postquam dixisset *alieni a Repub. Israelis*, Subiecit, & *extranei a pactis promissionis*. Διαθήκη, & Hebraicè בְּרִית foedus est, in quo continentur pacta: quale solet esse inter principes & subditos: Princeps stipulatur à subditis fidem & obedientiam, ipse vicissim promittit illis pacem, & commodam vitam. Deus foedus iniit cum Adam primùm postea cum Abrahamo renouauit, & cum alijs Patribus: promissio Dei, de qua hic loquitur, fuit; *Ero Deus tuus, & seminis tui post te foedere sempiterno*. Quid est Deum, esse Deum alicuius? Christus docet, dicendo: *Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium* [Matt. 22.] Est igitur esse donatorem & autorem vitae illis, quorum dicitur esse Deus. Cuius verò vitae? Et praesentis, & maximè futurae, Apostolo interprete, ac dicente, *Pietas promissiones habet praesentis vitae pariter & futurae* [1 Tim. 6.]. Haec verò haberi non poterat nisi per Christum: ideo in illa promissione continebatur Christus.

Quare haec est promissio, de qua hîc loquitur, & eadem semper fuit à condito orbe. Ac proinde in singulari vnam vocat ἐπαγγελίαν: quae est foederis substantia. Caeterùm conditiones, quas stipulabatur Deus, ad summam & in substantia eadem fuerunt, Fides scilicet viua cum dilectione Dei coniuncta: Et obedientia: sed pro diuersitate temporum, in accidentibus fuerunt variatae: quia ante Mosen paucas instituit ceremonias, per Mosen multas. Per Christum abrogatae istae fuerunt, & pauciores ac faciliores substitutae.

Atque hoc sibi voluit Apostolus, cùm vnam promissionem nominauit, & plura pacta

Ab ijs ait, extraneos fuisse Ephesios: quare? quia extra Ecclesiam erant, in qua sola sacrę literae continebantur, & praedicabantur. Quid hinc sequebatur? aliud ingens malum, nempe,

3. Quòd nullam poterant habere spem vel remissionis peccatorum, vel aeternae vitę. Ratio, quia spes nititur fide, Fides autem, verbo Dei: Heb. II. *Fides est substantia sperandarum rerum.* Roman. 10. autem ait, *Fides ex auditu.* Item ait idem Apostolus, *Omnia quae scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.* Nititur ergo & ipsa scripturis. Quare cùm Gentes non habuerint scripturas, & promissiones: quomodo potuerunt vllam habere spem salutis: Item 1. Tim. 1. Christus vocatur nostraspes: cùm ergo essent sine Christo, spem salutis habere non poterant Gentes, extra Ecclesiam positę, & extra Christ. Cùm dicit, *spem non habentes*, intellige veram ac firmam, veritatique verbi Dei nitentem. Nam alioqui etiam Gentiles lactabantur spebus à suis sacerdotibus: sed spebus inanibus & vanis, ac falsis. Sequitur, *Et ἄθεοι in mundo.*

4. ἄθεοι erant, quia non cognoscebant viuum Deum, neque eum colebant, sed negligebant: ἄθιοι etiam, quia negligebantur à Deo, sinebanturque ambulare in peccatis.

Caeteroqui ἄθεος etiam dicitur, qui aut negat vllum esse Deum, aut eum res mortalium non curare contendit: aut qui nulla numinis religione tenetur. Hoc modo & sensu non videtur Apostolus voluisse dicere Ephesios fuisse ἀθεούς: cum multos Deos adorarint, & habuerint templum Dianę. Sed tantum quòd non habuerint verum Deum.

At dices, quomodo fuerunt sine Deo, cùm Apostolus dicat in Actis, *Deum non longè abesse ab vnoquoque mortalium* [Act. 17.]. Et probet Arati dictum, *louis omnia plena?* Item Rom. 2. *Deum. esse Deum non solùm Iudaeorum, sed etiam Gentium?* Resp. Non negare Apostolum, quin Gentiles fuerint creati à Deo vero, & ab illo regerentur, omniaque haberent bona: sed negare, eos verum Deum habuisse, id est, cognouisse, coluisse, propitium habuisse. Fuerunt igitur sine Deo, nempe à se cognito, à se culto, à se amato, eoque & propitio: sed non fuerunt simpliciter sine Deo creante, mundumque regente,

& implente. *In mundo*, opponitur Ecclesiae Ecclesia est coetus sanctorum: mundus verò coetus impiorum, cuius Satan princeps esse dicitur.

Alludit ad id, quod suprà dixerat, eos ambulasse in peccatis iuxta seculum mundi huius. Ideò ad superiores particulas omnes referenda est: *Erratis in mundo sine Christo*: in mundo sine Ecclesia. Qui enim sunt hoc sensu in mundo, extra Ecclesiam sunt, omnesque sine Christo, sine promissionibus Dei, sine spe, sine Deo. Qui eripiuntur ex mundo hoc, liberantur omnibus ijs malis, & contrarijs bonis donantur: Et sic erepti fuerunt Apostoli, *Ego* (inquit Christus) *elegi vos de mundo*. Sic Ephesij, sic nos per gratiam Dei, erepti fuimus.

Meminerimus igitur & nos, quales fuerimus in mundo, inter profanos homines, inter Idololatrias, sine Christo, alienati à vera Ecclesia, destituti sacris literis, id est, vera puraque verbi Dei praedicatione, spem firmam salutis non habentes, denique sine Deo: Nunc autem nos inde ereptos esse gratia Dei: eoque simus grati.

[II. De coniunctione cum Ecclesia. Ver. 13.] Sequitur ergo particula, secunda, de beneficio redemptionis nostrae, coniunctionisque cum vera Ecclesia, per Christum factae.

Nunc autem in Christo Iesu, vos qui quondam eratis longe, facti estis prope, per sanguine Christi.

Primùm totum hunc contextum breui analysi, resoluam in suas partes. Deinde singulos versus explicabo, & quae inde colligenda sit doctrina, indicabo.

1. Proponit propositionem de vocatione Gentium è mundo, [page 137] eorumque coniunctione cum Deo, & eius Ecclesia, per Christum facta: quam postea propositionem explicat. Propositio est in versu. 13. Hęc autem est. Qui quondam eratis longè (nempe à Christo, ab Ecclesia, à foedere, & promissione, à spe, à Deo:) nunc per Christum, perque eius sanguinem facti estis, propè (id est, copulati Christo, coniuncti cum Ecclesia, vniti foedere cum Patribus, & fide ac spe cum Deo.) Hęc est propositio. Propositionis explicatio, & expolitio, reliquis versibus continetur.

Versu itaque 14. Primò explicat causam efficientem huius reconciliationis, pacis, ac $\kappa\alpha\iota\ \nu\omicron\nu\acute{\iota}\alpha\varsigma$ cum Deo, & cum populo, Ecclesiaque Dei. Facta est enim vnio & coniunctio in persona Christi, & per Christum, cum duobus, cum Deo, & cum eius Ecclesia: sublatis scilicet inimicitijs, quae erant inter Deum & homines, & inter vtrumque populum.

Et vtramque simul tractat: sed incipit à notiore, hoc est, ab ea coniunctione, quae cum Ecclesia Dei facta est, dicendo, in v. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex vtrisque vnum.* De ea quae facta est cum Deo, loquitur in v. 16. Vtriusque causa efficiens est Christus.

Deinde in hoc eodem v. 14. explicat modum, quo fecit ex vtrisque vnum Christus: modum hunc explicat simili.

Intermedium parietem (inquit) *maceriae diruit*: Quod disertis explicat verbis versu insequenti: Ergo v. 15. primùm perspicuis verbis modum illum declarat, quo vtrumque populum conciliauit simul, dicendo:

Inimicitias sublatis (quae scilicet erant inter vtrumque populum) *per carnem suam.*

Secundò docet, vnde illae fuerint ortae inimicitiae: ex lege per occasionem, quatenus propter legem Iudaei contemnebant & oderant Gentes, qui talia non praestabant, quae ipsi, & vicissim Gentes oderant Iudaeos, à quibus videbant se contemni: morum enim dissimilitudo & religionis, ceremoniarumque animos alienat hominum à se inuicem. Ideo volens tollere effectum Christus, id est, inimicitias: sustulit causam, legem cum suis tot mandatis & ritibus. Idcirco ait, legem mandatorum in decretis sitam, abrogans: sustulit etiam legem, id est, maledictionem legis, vnde inter Deum & populum vtrumque erant inimicitiae.

Ideo tertio causam finalem huius abrogationis legis duplicem affert, vnam in hoc v. 15. dicendo:

Vt duos conderet in semet ipso in vnum nouum hominem, faciens pacem: alteram in v. 16. dicendo: *Et vt reconciliaret vtrosque in vno corpore, Deo.*

Caussam autem, quam alij vocant materialem salutis, alij meritoriam, seu promerentem, qua totum hoc beneficium promeruit & obtinuit, impetrauitque à Deo Patre Christus, quater repetit in singulis nimirum versibus: v. 13. dicens, *Per sanguinem Christi*, v. 14. dicens, *per carnem suam*. v. 15. dicens, *in semet ipso*. v. 16. dicens, *per carnem*.

Haec est horum quatuor versuum resolutio & summa.

[Ver. 13.] *Nunc autem in Christo Iesu, vos qui erratis longè facti estis propè, per sanguinem Christi.*

Quatuor sunt hic, id est, in hac contrariorum (vt vocant Rhetores) conflictatione, quem hoc v. 13. continetur, consideranda,

[Observ. 1.] Primùm, mutatio Ephesiorum, *Vos erratis* (inquit) *longè*. A quo, vel à quibus longinqui fuerunt Ephesij? Diximus ante, nempe à Christo, ab Ecclesia, à participatione promissionum, à spe salutis, a Deo ipso: Sed nunc factiestis propè, id est, propinqui Christo, Ecclesiae, Deo: id est, consecuti estis κοινωνίαν cum Christo, cum eius Ecclesia, cum Deo, illisque estis incorporati, & vnum simul effecti. Hoc significat factum esse vicinum, & propè: Sicut contrà, esse ab ijs longè, est communionem cum ipsis non habere. Alludit ad Prophetiam Iesaię: *Creo pacem ei, qui longè est, & pace ei, qui prope* [Ies. 57. 19.]

In quamquam autem re consistebat ista longinquitas, & propinquitas? non in locorum spatiis, non in carne & sanguine, aut in natione, sed in spiritu, & in corde, in cognitione Dei, in fide, in amore, denique in vera κοινωνία. Ies. 29. *Labijs me honorat populus hic, cor autem longè est à me*: id est, me non norunt, me non amant, me non colunt, de me non cogitant. [Matt. 12.] Contrà de quodam adolescente, qui declarabat se Deum nosse & amare, dixit Christus, *Non longè abes à regno Dei*. Et Apostolus ait, *Per fidem Christum habitare in cordibus nostris* [Eph. 3.]. In Spiritu igitur atque in corde, consistit haec longinquitas vel propinquiras, tam à Deo vel cum Deo, quàm ab Ecclesia vel cum Ecclesia. Ideo, licet Christus suo corpore sit procul à nobis, Spiritu tamen & fide fimus illi propinqui, & ille nobis, vt nihil magis propinquum esse possit. Fimus enim vna caro: *Et qui adhaeret Deo* (ait Apostolus) *vnus Spiritus efficitur cum illo*. Hinc & communio Sanctorum.

Qui sunt in Oriente fideles, sunt nobis propinqui, quia omnes vnum corpus sumus in Christo: Qui domi sunt impij, procul sunt: quia non est illis pars nobiscum in forte hac Christiana.

Hinc sequitur, esse longè à Christo & à Deo, est esse perditum, iuxta illud. *Qui elongantur a te peribunt*: Ergo contrà, esse propinquum, est esse seruatum. Et sic intelligit Apostolus. *Vos qui mortui eratis, & perditis iam seruati estis*.

2. Haec est magna mutatio Gentium, non localis, non corporalis, sed spiritualis. Secundò obseruanda est particula *Nunc autem*. Opponitur enim haec illi alteri particulae, *ποτὶ*, &c.

Ante, quondam erant filij irae, mortui in peccatis, longinqui à Deo, ab Ecclesia, à Christo, à salute: nunc facti sunt propè.

Est igitur rerum omnium vicissitudo, non solùm in rebus naturalibus, sed etiam in spiritualibus & supernaturalibus. Aliquando fuimus pueri, [page 138] nunc senes: aliquando insipientes, & imperiti rerum, nunc prudentia aliqua donati. *Nunc videmus per speculum in aenigmate: alias videbimus à facie ad facie*. *Nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit, quid futuri simus in coelo*. *Tempora mutantur, & nos mutamur in illis*. *Fuistis igitur (inquit) aliquando longè, nunc autem propè*.

Ergo nunquam despondendus est animus: sed tam in rebus spiritualibus, quàm in corporalibus & huius vitae, expectandum est tempus, quo Deus nostrum mutet statum, è malo in bonum: Et contrà, qui bene habent iam, ne insolescant, quia mutari potest conditio & status in peius. Exemplum est ad Roman. c. II. de ramis excisis.

[Observ. 3.] Sed illud inprimis considerandum est, in quo sit facta haec Ephesiorum mutatio, vt è longinquis facti sint propinqui. Ait, *In Christo Iesu*.

Opponitur haec illi superiori, ἐν τῷ κόσμῳ: in mundo cùm essetis, eratis longè à Deo: quia sine Deo: In Christo autem, facti estis prope Christus igitur & mundus sunt contrarij: vt simul esse in vtroque non possis. In mundo qui

sunt, extra Christum sunt, eoque sunt sine Deo, sine spe salutis. Qui in Christo, propè sunt.

Et merit, Christus enim est mediator. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me: Ego sum ostium, si quis per me introierit, seruabitur* [Ioh. 14.].

Doctrina igitur haec retinenda est: neminem accedere ad Deum posse, & ei fieri propinquum: nisi prius fiat propinquus Christo, eique vniatur: id quod fit per fidem, & per Spiritum Christi. In solo enim Christo Iesu, qui sunt longè, fieri possunt propè: quia solus est mediator, & solus via, & ostium ad Patrem.

Et obseruanda est locutio in Christo Iesu. In ipsius enim persona sumus iam etiam in coelo apud Patrem.

[Observ. 4.] Quomodo Christus nos fecit è longinquis, propinquos? In seipso, seu in sua persona? Per sanguinem suum: hoc est, per sacrificium corporis & sanguinis sui pro nobis oblatum Patri. Quòd enim hîc dicit Apostolus, *per sanguinem Christi*, infrà dicet, *per carnem suam*, Item, *per crucem*. Hoc enim sanguine impetrauit nobis remissionem peccatorum, quibus Deus fuerat offensus, è quibus ortae inter illum & nos inimicitiae, & quibus denique valde procul recesseramus à Deo. Quando igitur per sanguinem Christi, expiata fuerunt peccata, eoque sublatae inimicitie: tum etiam nos dicimur facti fuisse propinqui, quia scilicet per sanguinem suum impetrauit nobis Christus, vt praefinito tempore, tum Deo, tum Ecclesiae reipsa vniremur: id quod sit, cùm vocati per Euangelium, Christum fide amplectimur, qua de re post dicet versu 17. vbi sic legimus.

Et veniens euangelizauit pacem. Nunc enim tantùm agit de beneficio, per sanguinem omnibus electis impetrato: mox de medio, per quod facta est beneficij communicatio, dicturus.

In persona igitur Christi, tunc facti fuimus propinqui, cùm suum pro nobis effudit, sanguinem, quia tunc expiata fuerunt peccata nostra: beneficij autem huius communione & participatione quisque fit propinquus, cùm per Euangelium vocatus, credit in Christum, & remissionem peccatorum per sanguinem Christi partam amplectitur.

Hactenus propositio de Redentione. Sequitur explicatio:

[Ver. 14.] *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque (τὰ ἔθνη) vnum: & (qui) intermedium parietem maceriae diruit: inimicitiam per carnem suam.*

Quatuor facit hoc versu Apostolus.

Primo explicat illud, *In Christo Iesu.*

Secundo, illud, *Facti estis propè*: quid hoc significet.

Tertiò, modum, quo facti sint propè, id est, *vnum.*

Quartò, quod dixerat, *per sanguinem*, explicat, dicendo: *per carnem.*

De primo igitur ait,

Ipse enim est pax nostra. Obseruanda est locutio, quia magnam habet Emphasin, & non caret mysterijs.

Primùm, cùm dixerit, *Vos facti estis propinqui in Christo*, videtur dicendum fuisse, ipse enim est appropinquator noster, vel propinquitas nostra: huius autem loco dixit, *Ipse enim est pax nostra*: Docet igitur è longinquis fieri proximos Deo, aut Ecclesiae, nil aliud esse, quàm redire in pacem seu in gratiam, & reconciliari cum Deo, & cum Ecclesia, atque ex inimicis, amicos fieri: id quod pòst confirmat, dicendo: *Sublatis inimicitiis.*

Quomodo verò sublatae sunt inimicitiae? dum Christus nostras abstulit offensas, quas admisimus, legem Dei transgrediendo: sicut postea in hoc versu explicat, & clarius etiam 2. Corinth. 5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: non imputans illis peccata ipsorum.* In remissione igitur peccatorum cumprimis consistit haec reconciliatio, pax, propinquitas.

Ita intelligimus ex his etiam verbis Apostoli, quid sit è longinquo fieri propinquum: nempe condonatis expiatisque peccatis, reconciliari, & ex inimico fieri amicum: id quod factum est per sanguinem & carnem Christi

pro nobis oblatam. Et sic Roman. 5. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius.*

[page 139] Deinde, non sine caussa Apostolus, non dixit simpliciter Christum esse nostrum pacificatorem, sed pacem nostram: id quod de vllo alio an legatur in scripturis, non memini.

Deus Pater ipse quoque est noster reconciliator, & pacificator, vt Apostolus docet, dicendo: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* [2. Cor. 5.]: Sed solus Christus vocatur nostra pax. Ergo aliquid amplius hac locutione significauit Apostolus de Christo, quàm illum simpliciter caussam esse pacis.

Moses quoque fuit pacificator inter Deum, & inter populum: sed nunquam pax ipse: solus Christus est pax nostra. Ratio est: quia solus etiam est mediator inter Deum & homines: Et solus ille est, propter quem, & in cuius gratiam, facta est pax inter Deum & homines, & inter vtrumque populum: Et solus est ille, in quo pax haec firmata & constabilita est. Simili explico. Si vxor propter iniurias marito factas nunquam potuerit viro reconciliari, nisi in gratiam filij ex sua carne vteroque nati, ita vt maritus ei significet, se in vnus filioli gratiam illi esse reconciliatum & pacificatum: an non meritò posset mater dicere, hic filius est pax mea? quo sensuu? quòd scilicet in huius gratiam, & propter hunc vir re conciliatus mihi sit vxori.

Triplici igitur de caussa, Christus dicitur pax nostra. 1. [Primò,] quia sese interposuit inter Deum Patrem, & inter nos, idque tum intercessionem ad Patrem, tum verbis ad nos, hoc est, huius suae apud Patrem pro nobis intercessionis significatione, vt sublatis inimicitijs, caussisque inimicitiarum, nos Patri reconciliaremur. 2. [Secundò,] quia per ipsius sanguinem (vt post explicat Apostolus) expiatis peccatis nostris; satisfactum fuit iustitiae diuinae, eoque illius ira placata, & mors aeterna, quae nobis debebatur, à nostris ceruicibus auersa est: atque ita propter solum Christum, & in solius Christi gratiam nos reconciliati sumus Patri. 3. [Tertio,] quia in ipso Christo firmata est, & constabilita pax: quatenus in ipso acquiescit Pater, & in ipso charissimos habet omnes, qui Christi membra sunt, totamque gratiam, quam Christus habet apud Patrem, nobis etiam imputat, & largitur. Meritò igitur Christus sicut non solùm est noster iustificator, seruator, redemptor, sed ipsa etiam nostra iustitia, salus, redemptio, sic etiam non solùm est noster

pacificator, sed ipsa nostra pax. Quare sicut in ipsius persona, sumus perfectissimè iusti, perfectissimè sapientes, perfectissimeque sancti: sic in ipso quoque ita pax & reconciliatio nostri firmata & perfecta est, vt nihil irae supersit in Patre aduersus eos, qui Christo sunt insiti per fidem, perque Spiritum sanctum. Sicut & Roman. 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Hoc significare voluit Apostolus, cùm dixit Christum esse pacem nostram, pacem scilicet perfectam, pacemque aeternam: ac proinde de reconciliatione cum Deo, non esse dubitandum ijs, qui sunt in Christo per fidem.

Docere item voluit, extra Christum, pacem cum Deo non esse quaerendam, sperandam, expectandam: quia solus est pax nostra, eoque etiam solus vita, & salus nostra: vt summa fiat Christo iniuria, si quis ad perfectam cum Deo reconciliationem, & salutem, putet Mosen quoque & eius legem esse necessariam. Si enim Christus solus est pax nostra, eoque perfecta: non igitur per legem pax, iustitia, salus. Atque haec de primo membro.

II. De secundo, vbi explicat, quid sit factum esse propè, ait, *Qui fecit ex vtrisque vnum.*

Diximus initio, duplicem factam esse pacem per Christum, vnam inter Deum & homines, alteram inter vtrumque populum. De hac altera hîc agit, dicendo: *Qui fecit τὰ ἀμφοτέρα (ἔθνη) ἐν, nempe τὸ ἔθνος, gentem inquam seu populum alium: non enim gentilem conuertit in Iudaicum (vt volebant Iudei tempore Pauli) neque Iudaicum in gentilem: sed vtrumque mutauit in vnum alium diuersum, nempe in Christianum populum.* Hoc significat, *Fecit vtraque, seu ex vtrisque vnum, alium, scilicet populum.* Nisi malis accipere illud, ἐν simpliciter pro vno, scilicet corpore, vni capiti adglutinato. Haec est enim explicatio eius ἀνακεφαλαίωσεως, de qua cap. 1. Colligendi erant omnes Electi, tam ex Gentibus, quàm ex Iudaeis in vnum corpus sub vno capite Christo: & ita ambo in vnum collecti, Deo Patri reconciliandi, & ad illum adducendi erant: vt postea sequitur vers. 18. quòd per Christum vtrique habemus προσαγωγήν in vno Spiritu ad Deum: Hoc igitur est, quod dicit, *Qui fecit vtraque vnum, corpus scilicet vnum sub vno capite Christo.*

Quid igitur est, fieri propinquum Ecclesiae? Est fieri vnum cum Ecclesia. Haec est vnitas Ecclesiae: de qua postea dicemus suo loco

Hanc primùm, impetrauit & fecit in cruce, in sua scilicet persona vtrumque populum sibi vniens, tanquam corpus capiti, & ita totum offerens Patri. Quotidie etiam facit per suum scilicet Spiritum, ad prædicationem Euangelij: perficiet verò & absoluet in coelo, cùm eò nos adducet, & subijciet Patri, vt sit Deus omnia in omnibus.

Sed de prima, nempe cum Ecclesia, nunc loquitur, de secunda in v. 17. & 18.

Obseruandum igitur hîc de hac vnione primùm, etiam antequam nasceremur, omnes nos fuisse factos vnum in persona Christi, cùm esset in cruce: quia expiatis omnium nostrum peccatis, quae in se receperat, nos pro membris suis agnouit, & Patri se obtulit: quanta igitur charitate debemus nos mutuò complecti? Deinde extra Christum nullam [page 140] veram fieri posse populorum & Ecclesiarum vnitionem: quia solus Christus facit ex vtrisque verè vnum, & in solo Christo fit haec salutaris multorum coniunctio. Tunc autem fit in Christo solo, cùm iuxta ipsius doctrinam, fidem, & Spiritum fit.

III. De tertio, quo modo fecerit ex vtrisque vnum: ait,

Et intermedium parietem maceriae diruit, inimicitiam, &c.

Hoc simili intellexit legem, vt versu sequenti explicat. Hac duo fiebant, vnum per se, alterum per accidens: Per se vnus populus, ab altero, Iudaicus à Gentili, Gens à gente, sicut domus à domo discernebatur, & diuidebatur: Et in hunc finem tradita lex fuit à Deo, contraria nimirum moribus & ceremonijs Gentium: Vnde apud Mosensemper cauetur, ne populus ambulet iuxta vias Gentium, nec similes illis fiant: Hoc fuit per se. Sed per accidens ex illa lege fiebat, vt summae inimicitiae orirentur inter Iudaeos & Gentiles: propter diuersitatem scilicet religionis, politiae, morum, quam illa adferebat, diuersa à moribus Gentium praecipiendo. Vtrumque effectum indicat Apostolus paucis verbis: Primum quidem effectum, dum vocat legem intermedium parietem maceriae: alterum verò, dum addit inimicitiam, seu vt alij, inimicitias.

Vt illi duo populi conciliarentur, & fierent vnus populus Christianus, per se necessarium erat, vt tollerentur inimicitiae: vt autem tollerentur inimicitiae,

caussa inimicitiarum tolleretur, necesse erat. Meritò igitur sustulit legem Christus, quae ne duo populi in vnum coniungerentur, impedimento erat.

[Observ. 1.] Duo porrò hîc sunt obseruanda. Primùm, quam congruè legem illam compararit Apostolus muro maceriae: triplex enim occurrit similitudo, & respectus, inter parietem, & inter legem.

Primùm, maceries constat ex multis lapidibus, sic lex illa Mosis: Vnde Apostolus vocat legem mandatorum (multorum) & in decretis sitam, nempe quamplurimis.

Secundò, lapides è quibus maceries constat, duri sunt, nullo admixti cemento: lex dura fuit, & intolerabilis populo: vnde Petrus: *Vt quid tentatis imponere iugum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus?* [Act. 15.] Proinde meritò tollenda erat, quia & Iudaeis seruatu erat impossibilis, & Gentibus inutilis, & simul etiam intolerabilis.

Tertiò, maceries, paries est imbecillus, non perpetuus, sed temporarius: sic Deus significauit legem illam ceremoniam, & iudicalem non duraturam in perpetuum: sed tantùm vsque ad illud tempus, quo agri illi diuersi in vnus potestatem, hoc est, in potestatem Christi erant deriuandi, & coniungendi. Cùm Christus factus homo vixit inter Iudaeos, non habuit, nisi hanc vineam Domini Zebaoth: at in cruce impetrauit à Patre totam etiam planitiem gentium: *Postula à me* (ait in Psalmo 2.) *& dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Hac igitur planitie impetrata, diruenda fuit maceries. Proinde post resurrectionem, dixit, *Data est mihi omnis potestas, &c. Ite igitur in vniuersum mundum.*

[Observ. 2.] Maceries illa fuit à Deo erecta, vt populus ipsius à Gentibus discerneretur: vbi autem vniendi fuerunt, eam diruit: quia pluris erat facienda vnio populorum, quam maceries ipsa. Quantò magis igitur diruendae essent maceries humanae, traditiones, ceremoniae, consuetudines, & alia multa humana, propter coniunctionem Ecclesiarum? Clamant omnes studendum esse vnitati Ecclesiasticae, & vt omnes in vnum vniantur: ô vtinam. Sed quae nam est vera vniendi ratio? quam hîc docet Apostolus. Tollantur inimicitiae imprimis necesse est. Vnde verò hae? Ex humanis legibus, decretis, mandatis, canonibus, de rebus, ritibus, ceremonijs, quae à verbo Dei dissident: vel

saltem quae ex illo nullum habent testimonium. Et interim tamen illis grauantur conscientiae supra modum. Tollantur ergo ista. Hic est paries maceriae.

Atque haec de tertio.

De quarto ait, *Per carnem suam*.

IV. Cur, cùm supra dixerit, per sanguinem Christi, hîc ait per carnem Christi? Significabat se non loqui de solo sanguine, neque de sola carne, sed de toto sacrificio, quod Patriobtulit: illud autem non fuit solus sanguis, nec sola caro: sed vtrumque simul. Deinde neque etiam caro & sanguis, separanda sunt à persona Filij Dei, eoque ab eius Deitate: neque enim per se vim habuissent expiandi peccata, nosque Deo reconciliandi, nisi eam à Deitate accepissent: Proinde meritò Apostolus Act. 20. dixit, *Deum sanguine suo redemisse Ecclesiam*. Sanguine redemit, sed vis redemptionis in sanguine inde erat, quia sanguis fuit non puri hominis, sed eius, qui Deus etiam erat. Ideo etiam hîc totam personam significat Apostolus, cùm ait, nos factos esse propinquos, per sanguinem Christi. Et Christum fecisse ex vtrisque vnum, per carnem suam. Christi nomen, nomen est totius personae: ideoque tota operata est salutem nostram: Secundum humanam naturam, patiendo, moriendo, secundum diuinam efficaciter salutem operando, vimque redimendi à peccatis, sanguini praeendo, & carni: ita vt distinctissimae fuerint in eadem persona actiones, quae erant secundum humanam, ab ijs quae erant secundum diuinam naturam: ita tamen vnitae in eadem persona, vt aliae ab alijs non seiungerentur: actionibus verò distinctis simul & vnitis, proprietates etiam vtriusque naturae, eoque & naturae ipsae, distinctae simul fuerint, & verè in vna persona vnitae, [page 141] necesse est. Eodem enim modo se habent in Christo, Actiones, Proprietates, Naturae. Naturae sunt vnitae in eadem persona, nec tamen confusae, aut in se inuicem mutatae, vel transfusae: Ergo & proprietates & actiones eodem se habent modo: Ac sicut realis est vnio naturarum in vna persona, sic etiam vnio proprietatum, realissima est in eadem persona: & sic etiam de Actionibus dicendum est: actiones enim propriè sunt suppositorum: Et ita loquuntur scripturae de Christo, id est, de tota persona: Christus passus est, Christus mortuus, Christus redemit nos, Christus fecit vtraque vnum. Qua de caussa, Patres, actiones in Christo, vocarunt θεανδρικός actiones: quia illius sunt, qui & Deus & homo est. Atque

hoc obseruatum esto in hac locutione, & similibus de Christo: *Christus fecit vtraque vnum, fecit pacem, &c. per sanguinem suum, per carnem suam.*

[Ver. 15.] *Legem mandatorum in decretis (sitam) abrogans, vt duos conderet in semet ipso, in vnum nouum hominem, faciens pacem.*

Explicatio est & expositio superioris versus.

1. *Primùm, explicat*, quid sit, intermedium maceriae parietem diruisse, nil aliud, quàm legem mandatorum in decretis sitam, abrogasse: 2. *Secundò*, quid sit Christum vtraque fecisse vnum, nil aliud, quàm duos populos in vnum nouum non tam populum, quàm hominem condidisse: 3. *Tertio*, quid sit illud, per carnem suam, nempe in seipso: qua dictione apertè significatur persona Christi, non vna Natura. 4. *Quartò*, quòd supra dixit, Christum sustulisse inimicitiam, hìc ait fecisse pacem. Ita non est hìc opus longa explicatione, cùm haec nil aliud sint, quàm explicationes superiorum. Quaedam tamen sunt obseruanda.

1. Obseruanda est caussa, cur Apostolus de abrogatione legis verba faciens, eam non vocauit vel, תורה, seu doctrinam, vel simpliciter legem, sed legem mandatorum, nec hoc contentus adiecit, *in decretis* (nempe sitam) Caussa est, quia voluit significare, non esse abrogatam nisi illam legis partem, quae inimicitias conciliabat inter vtrumque populum, & quæ impedimento erat, ne ex duobus populis vnus fieret in Christo populus.

Haec autem erat ea potissimùm pars legis, qua cultus, ceremoniae, & ritus in religione praecipiebantur; ab ijs enim Gentes erant admodum diuersae: Et inde potissimùm oriebantur inimicitiae.

Nonnihil etiam oriebatur inimiciarum ex diuersitate legum politicarum: sed cumprimis ex ceremonialibus legibus. Hanc igitur partem ait fuisse abrogatam per Christum: quam etiam legem mandatorum in decretis vocat, quia erant mandata de ceremonijs, penè innumerabilia, tot & talia, quae à populo seruari omnia non possent, vt Petrus ait: Act. 15.

At verò doctrinae quae habentur in lege, de vno vero eo colendo, de Fide, de Spe, de Charitate, de Timore Dei, & aliae huius generis doctrinae, non

fuerunt abrogatae, imò stabilitae per sanguinem Christi: id quod & de promissionibus gratiae, quae in lege continentur, dictum esse volumus. Haec igitur caussa est, cur non dixerit simpliciter legem, aut Thora, sed legem mandatorum in decretis.

Quare hinc discamus quid per Christum abrogatum sit, & quid non sit abrogatum, id nimirum est abrogatum, quod impediebat, ne ex duobus populis, fieret vnus nouus, id est, Christianus.

Atque tantùm abest, vt doctrina de Deo vero, de Fide, de dilectione, item promissiones Gratiae, impedire potuerint ne duo herent vnus populus Christianus: vt potius nemo queat esse Christianus, sine hac doctrina, & studio horum verè bonorum operum, quae à fide & dilectione proficiscuntur.

2. Obseruanda est ista necessitas abrogandę legis. Ait Apostolus, Christum legem mandatorum abrogasse, vt duos conderet in seipso in vnum nouum hominem: Ergo non poterant condi in vnum nouum hominem in Christo, hominemque Christianum, nisi abrogaretur lex. Ratio multiplex est:

1. *Vna fuit*, quòd neque Gentilis cum Iudaeo, neque Iudaeus cum Gentili coire potuissent in vnum populum, nisi animis pacatis, & inter se amicis. Hoc docet Apostolus, dicendo: sublatis inimicitijs factos fuisse vnum: ver. 14. Item dicendo: facta pace, duos populos in vnum nouum hominem conditos fuisse in Christo. Atqui inimicitiae tolli non poterant, non sublata lege, illarum causia. Ergo, &c.

2. *Secunda* ratio à regeneratione ducitur. Christianus esse non potest, qui aut Gentilis manet, aut Iudaeus. In Christo enim non oportet esse Iudaeum, aut Gentilem, sed nouam creaturam: oportuit igitur & Gentilem suam deserere gentilitatem ac superstitionem, & Iudaeum suum Iudaismum, qui in ceremonijs & ritibus consistebat. Hoc enim erat Iudeorum proprium, quo ab alijs differebat populis: quando ipsa vera pietas debebat esse communis, sicut fuerat etiam ab initio mundi: Et reuera multis Gentibus communis fuit cum Iudaeis: sicut lobo, Naamano, Cyro, & alijs multis.

3. *Tertia*, à libertate petitur Christiana. Christianus esse non potest, nisi qui libe liberam habet conscientiam, & sub lege amplius non est, sed sub gratia: Hoc enim proprium esse Christiani hominis docet Apostolus ad Rom. & alibi.

Lege igitur liberari oportuit, qui in vnum nouum hominem creandi erant.

4. *Quarta*, [page 142] à Fide, post aduentum Christi. Vt quis verus sit Christianus, fide cumprimis in Christum opus habet, qua iam credat Christum venisse, peccata expiasse, & Patri nos reconciliasse, quemadmodum ante aduentum, necessaria erat fides, qua crederetur, Christum venturum, & haec praestitutum. Atqui ritus omnes & caeremoniae fidem illam impediabant: praedicabant enim Christum venturum esse, peccata nondum esse expiata, sed expiatum iri per Christum: eoque post aduentum Christi, negabant factum esse quod omnino factum erat, & quod iam factum esse fateri oportebat. Non poterant igitur populi illi duo in vnum nouum hominem, hoc est, in vnam veram & Christianam Ecclesiam coniungi, nisi lex illa, de qua loquitur Apostolus, abrogaretur. Oportuit enim esse vnam & eandem vtriusque populi fidem, si debuerunt in vnum hominem coniungi. Atqui non fuisset vna & eadem, si Gentilis quidem iuxta Euangelium credidisset, Christum venisse, Iudaeus verò iuxta legem non venisse, sed duntaxat venturum esse. Ita apparet quae necessitas abrogandae legis fuerit: vt meritò dicat Apostolus, Christum abrogasse legem mandatorum in decretis, vt duos conderet in semetiplo in vnum nouum hominem. Ex quibus etiam facilè intelligitur, quid illi egerint, qui tempore Pauli ceremonias illas & ritus in Ecclesia, tanquam necessarios ad salutem ratineri volebant: nihil nimirum aliud, nisi vt negaretur Christum venisse, peccata expiasse, & salutem mundo attulisse: eoque impediretur, ne populi in vnum nouum hominem in Christo conderentur.

[Observ. 3.] Neque praetereundum est, quòd Paulus vsus sit hac locutione, vt non simpliciter dixerit, vt duo conderet in vnum, sed in seipso: nec in vnum populum, sed in vnum nouum, non populum, sed hominem.

Primùm, explicat quomodo intelligendum sit illud quod dixerat, *Qui fecit vtraque vnum*, nempe non ex Gentilis accessione, vnum tantùm Iudaicum populum: sic enim non fuisset nouus populus, sed vetus; neque etiam in Christo vterque populus coisset & coaluisset, sed in Mose: multò minus, fecit

vnum, accessione Iudaeorum ad Gentes, (haec enim fuisset manifesta à Deo Iehoua Apostasia) sed ita fecisse Christus ex duobus populis vnum intelligendus est, vt vtrumque mutarit in alium populum, nempe in nouum, in populum scilicet Christianum, in nouam creaturam, in quo omnia renouarentur, sicut praedixerat se facturum per Iesaiam dicendo: *Vetera transierunt, Ecce noua facio omnia* [Ies. 66.]: id quod fieri non poterat, nec potest, nisi in CHRISTO, hoc est, per insitionem in CHRISTVM. Hoc igitur est primum, quod ex illa locutione colligimus.

Deinde eadem dictione declaratur, qualis & quanta sit vnitas piorum omnium in Christo: talis & tanta, vt quotquot Christo insiti sunt per Spiritum sanctum, perque fidem, tùm ex Iudaeis, tùm ex Gentibus (sunt autem infinita propè, & innumerabilia hominum millia) omnes tamen dicantur ab Apostolo esse, & verè etiam sint vnus tantùm homo, vnus inquam homo, cum ipso Christo: quia Christus huius magni, & ferè immensi hominis per totum orbem diffusi, inque coelo & in terrae existentis, caput est, singuli fideles membra. Quò pertinet quòd Apostolus totam Ecclesiam cum capite coniunctam, vocat Christum ipsum I. Corint: 12. *Sicut enim corpus* (inquit) *vnum est, & multa habet membra, omnia vero membra corporis vnus, multa cum sint, vnum sunt corpus: Sic & Christus*, id est, sic & Ecclesia, quae est corpus Christi: Et Ephes. *Ecclesia πλήρωμα est illius qui omnia in omnibus implet, id est, Christi*. An non magna & admirabilis est haec, omnium Electorum à condito orbe in finem vsque; tam ex Gentibus, quàm ex Iudaeis, partim in coelo existentium, partim in terris, idque in omnibus terrae partibus degentium, vnitas: qua fit, vt omnia sint verè vnus homo, non simpliciter, sed nouus? Quomodo verò vnus sunt homo? non ratione personarum, quae reuera sunt innumerabiles: sed ratione, tum capitis vnus, quod est Christus, cui omnes tanquam membra annexi sumus, tum respectu vnus & eiusdem Spiritus, quo viuificamur, & quo capiti adglutinati sumus omnes. Cur enim etiam quisque nostrum, vnus dicitur esse, & verè est vnus homo, cùm tamen multa & varia sint membra? quia omnia & ab vna eademque anima viuificantur, & sub vno capite coniuncta continentur: adde etiam tertium respectum, quia vna est & eadem omnium natura noua, vna caro de carne Christi, vnum os ex ossibus Christi: vna natura diuina, vt loquitur Petrus, omnibus communicata, quae noua vocatur creatura. Hanc rationem innuit etiam Apostolus in contextu, quando ait, in vnum hominem, non simpliciter, sed nouum.

Vnitas igitur haec, non ex personis, sed ex noua natura, qua vnum sumus in Christo capite, & ex Spiritu Dei, qui vnus in omnibus est, & omnes viuificat, aestimanda est. Philosophi dicunt, multos homines indiuiduis, esse vnum hominem specie: cur non & Christiani personis multi, vnus sint homo Christianus nouâ naturâ, id est, propter vnam nouam naturam, qua in Christo vnus est & subsistit? De fidelibus in Actis legimus, *Erat illis anima vna, & cor vnum* [Act. 2.]; non simpliciter, sed in Deo. Et ita in Deo erant etiam vnus homo, Spiritu, fide, charitate, voluntate, consensu, nouitate naturae.

Intelligimus ergo, [page 143] quanta, & qualis sit, esseque debeat omnium piorum in Christo vnitas.

[Observ. 4.] Quòd ait, faciens pacem: Explicat quod ante dixerat de sublatis inimicitijs per carnem Christi, inimicitijs inquam, quae erant inter Iudaeos & Gentiles. Si hae tollantur, quid superest aliud, quàm pax, Docet igitur populum non posse coire, nisi tollantur inimicitiae. Contrà igitur vbi charitas viget, & vera amicitia, ibi non potest esse bellum, sed tantùm pax, & consensio.

[Ver. 16.] *Et reconciliaret vtrosque in vno corpore, Deo, per crucem: peremam inimicitia per eam.*

Duplex supra diximus fuisse Mediatoris pacificatorisque nostri officium: Vnum, quo vtrumque populum inter se conciliaret in vnum: Alterum, quo vtrumque simul coniunctum, Deo reconciliaret & praesentaret.

De priore dixit: Nunc de altero loquitur in hoc versu. Sic autem construenda sunt verba: Christus pax nostra, legem abrogauit, vt duos conderet in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem: Et (scilicet legem abrogauit) vt reconciliaret vtrumque in vno corpore, Deo.

Docet igitur legis abrogationem non solùm ad hoc fuisse necessariam, vt duo populi simul inter se conciliarentur, verùm etiam ad hoc, vt vterque populus in gratiam Dei simul rediret, in persona Christi.

Quatuor autem facit:

1. *Primum*, alteram causam affert abrogata legis, ut scilicet utrumque populum Christus reconciliaret Deo.
2. *Secundo*, ubi facta sit haec reconciliatio: in corpore Christi.
3. *Tertiò*, per quodnam medium: per crucem inquit.
4. *Quartò*, quomodo? interempta inimicitia, per eandem crucem.

I [An legis abrogatio fueris ad reconciliationem cum Deo necessaria.] Ad primum quod attinet, oritur quaestio, quomodo fuerit necesse, legem abrogari per Christum, quò possint Gentes Deo reconciliari. Nam de Iudaeis non videtur vlla esse dubitatio: quoniam ipsi erant sub legeproinde ab illa liberandi erant, ut possent esse sub Gratia: sed quid illud ad Gentes, qui non erant huic legi obnoxij?

Resp. Simpliciter non fuit necesse abrogari legem, quò Gentes seruarentur, neque hoc dicit Apostolus: sed ut Gentes simul (nota illud simul) ut inquam Gentes vnà cum Iudaeis tanquam vnus homo, vel saltem vnus populus reconciliarentur Deo: ad hoc demum necessaria fuit legis abrogatio. Quomodo enim simul poterant Deo reconciliari, si non erant simul in vnum corpus coniuncti? Neque enim Christus seorsim populum Iudaicum reconciliauit Patri, & seorsim Gentilem: sed omnes electos simul reconciliare voluit. Quò igitur simul possent cum Iudaeis Gentes Deo reconciliari, abrogati legem Iudaeis necesse fuit. Hinc apparet Apostolum hìc non loqui de coniunctione vtriusque populi, qua realiter coniuncti fuerunt inter se vocati pariter ad Christum per Euangelium: sed de ea, quam Christus in cruce per carnem & sanguinem suum, impetrauit. Tunc enim simul fuerunt Deo reconciliati. Res igitur ita se habet.

1. Christus in cruce per suum sanguinem abrogauit legem: vnde & dixit in cruce, *Consummatum est*.
2. *Secundò*, lege abrogata, impetrauit, ut populus cum populo in vnum corpus tandem coiret: Ergo, utrumque populum tanquam iam in vnum hominem collectum, Patri simul reconciliauit, tametsi nondum reapse erant simul collecti, id quod postmodum factum est per praedicationem Euangelij.

Ita sensus est perspicuus: Christum ideò legem abrogasse, vt vtrumque simul populum inter se conciliatum, & ceu vnum factum hominem, Deo simul etiam reconciliaret.

II. De secundo, vbi facta sit haec reconciliatio, ait Apostolus, *in vno corpore*: intellige, in vno & eodem Christi corpore: quoniam idem Apostolus interpret sui est, ad Coloss 1. *Vos (inquit) reconciliauit in corpore illo carnis suae: vt vos sisteret sanctos*. Alij interpretantur, in corpore vno, nempe mystico: vt sit sensus, Christum omnes Electos ceu iam in vnum corpus collectos, tunc habuisse ante oculos, & in eodem corpore singulos Patri reconciliasse. Sed distinguendum est corpus mysticum totius Ecclesiae, quod reconciliatum est, à corpore carnis Christi, in quo illud fuit reconciliatum.

Et sic distinguit Apostolus loco ante citato ad Col. Et consentanea est haec interpretatio, cum eo quod etiam supra dixit ver. 15. *Vt duos conderet in seipso in vnum nouum hominem*. Ibi ait, in seipso: hic ait, in vno corpore, intellige cum Paulo, carnis suae.

[Observ.] Confirmatur hic doctrina, quam ante et Obseruae. iam tradidit, omnes simul electos in vna & eadem Christi persona fuisse in cruce Patrireconciliatos: ita vt quatuor hîc sint propositiones per se notae & certae:

1. *Prima*, extra personam Christi, nemo vnquam potuit aut potest Deo reconciliari: quotquot enim Christus reconciliauit, reconciliauit in corpore suo, hoc est, in seipso

2. *Secunda*, omnes simul electi, tanquam in vnum corpus collecti, semel reconciliati fuerunt Deo, per Christum in cruce: Ideò enim Christus omnes simul coniunxit, vt vna & eadem oblatione omnes simul in vno & eodem suo corpore, Deo reconciliaret: hinc sequitur.

3. *Tertia*, Qui non fuerunt in cruce Christi, vnà cum alijs, id est, cum toto Ecclesiae corpore reconciliati: [page 144] speranda illis non est vlla alia reconciliatio.

4. *Quarta*, sicut fieri nequit vt tota Ecclesiapereat, quae semel fuit reconciliata: sic fieri etiam non potest, vt pereat, qui cum corpore Ecclesiae fuit semel per Christum Patri reconciliatus.

III. De tertio, hoc est, per quodnam medium simus omnes in corpore Christi, Deo reconciliati, ait Apostolus, *per crucem*: intelligit sacrificium in cruce oblatum. Quòd enim supra dixit, per sanguinem Christi, & postea per carnem suam, nunc dicit per crucem. Ergo per crucem, nil aliud est quàm per sacrificium corporis & sanguinis sui, in cruce oblatum, nos esse Patri reconciliatos. Quanti igitur aestimanda est haec reconciliatio, qua facta est per effusionem sanguinis Filij Dei in cruce effusi: & per sacrificium carnis ac corporis eius in cruce peractum?

IV. Sed quartum consideratione dignum est, quomodo facta sit haec reconciliatio: ait,

Perema inimicitia per eam.

De inimicitia loquitur, quae inter Deum & nos propter nostra peccata, exorta fuerat. De inimicitijs inter vtrumque populum, dixit eas fuisse solutas: λύσας (inquit) τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ τὴν ἔχθραν. Sed de inimicitia inter Deum & nos, ait, eam fuisse interemam, Significatur, posse quidem renouari inimicitias inter populum & populum, inter hominem pium, & pium: sed inter Deum, & Electos nullam amplius esse posse: quia haec interenta est penitus per crucem Christi. Quid enim hanc exuscitare potest? peccata certè, quae sola excitarunt inimicitiam hanc, deleta sunt per sanguinem Christi, nec amplius imputari possunt electis, qui sunt in Christo Iesu: Rom. 8. *Nihil damnationis, &c.*

Ergo amicitia cum Deo per Christum comparata, constans & sempiterna est, nec ab ea separare quidpiam nos potest: quid ita? quia inimicitia omnino & funditus peremaest. Hoc est quod Apostolus ait Rom. 8. *Quis nos separabit a charitate Dei, &c.*

TERTIA PARS.

[III. De euangelij praedicatione. Ver. 17.] *Et veniens (καὶ ἐλθὼν euangelizauit pacem, vobis qui procul, & ijs qui prope*

[Ver. 18.] Quia per illum habemus adductionem vtrique in vno Spiritu ad Patrem.

Hactenus explicauit beneficium reconciliationis & pacis, quam Christus Electis omnibus tam Iudeis, quàm Gentibus, tum inter ipsos, tum cum Deo, in cruce comparauit, sublatis & interfectis inimicitijs per crucem. Nunc quomodo hæc pax innotuerit Mundo, Iudaeis & Gentibus, & quomodo communicetur, declarat: nempe per Euangelij praedicationem.

Duo autem sunt membra prioris, id est, 17. versus: Ac

Primò, docet Apostolus, Christum, sicut autor fuit pacis, sic etiam primarium esse eiusdem publicatorem, & donatorem: illum enim venisse, ac Euangelium hoc attulisse.

Altero, quibusnam pacem hanc denunciaret, nimirum non tantùm Iudaeis, qui erant propè, sed etiam Gentibus qui erant longè: hoc est, omnibus hominum generibus. Sed nos vtrumque simul explicabimus.

Ait ergo:

Et veniens (quis?) Christus: de eo enim hactenus locutus est, Christus ergo, qui est pax nostra, qui ex vtrisque fecit vnum, qui legem abrogauit, qui duos condidit in vnum nouum hominem, faciens pacem: qui vtrumque populum simul reconciliauit, is idem veniens euangelizauit: id est, laetum attulit nuncium, quo nullum laetius adferri à quopiam poterat: Quid enim euangelizauit?

Pacem, pacem scilicet, quam etiam fecit, & nobis acquisiuit: pacem nimirum cum Deo, & pacem cum proximo, adeoque cum tota Ecclesia, de quibus hucusque disseruit. Apostolus: quarum prior, nempe cum Deo, caussa est posterioris.

Ideo enim pax facta est inter vtrumque populum, quia Christus pro vtroque mortuus est, & sua morte vtrumque reconciliauit, Patri.

Haec est pax, quam Christus & fecit primùm, & deinde etiam ἐλθὼν, *veniens*, (nempe ad vtrumque populum, tam eum qui procul erat, quàm ad eum qui propè, vt mox sequitur in ipso Apostoli contextu) vtrique etiam euangelizauit: euangelizauit inquam pacem, hoc est, reconciliationem sanguine suo partam, & nobis à Patre impetratam: ac proinde peccatorum remissionem, liberationem à morte, è manibus Satanae, & denique vitam aeternam. Nomine enim pacis mundo euangelizatae, totum CHRISTI beneficium, quod Euangelio praedicatur, complexus est Apostolus.

[Quaestrio it Quomodo gentibus pradicarit pacem. Rom. 15. Matt. 15.] Sed oritur hîc quaestio de hoc Christi aduentu & praedicatione ad Gentes. De illis enim qui erant propè, id est, de Iudaeis, res est perspicua: Christum ad illos venisse & praedicasse; vnde & minister circumcisionis appellatur, & Christus ipse dixerat, se missum esse ad oues quae perierant domus Israel: Et Iesaiæ oraculum citauit, quo suam vocationem ad praedicandum comprobaret, dicendo: *Spiritus Domini super me, ad euangelizandum pauperibus misit me* [Luc. 4.]: Et quidem officium hoc fecit, tum ante pacem in cruce partam, omnibus Iudaeis euangelizando, tum post resurrectionem per dies 40. loquens de regno Dei cum suis discipulis. Ita de aduentu & praedicatione ad Iudæos, nulla est quæstio: sed quòd dicitur ad Gentes venisse, & illis euangelizasse, cùm nihil [page 145] hac de re scribant Euangelistae, immò cùm hoc neget Christus ipse, dicendo, se non esse missum nisi ad oues quae perierant, domus Israël: hoc aliquam dubitationem parit.

Resp. Solutio brevis est: Christus secundum praesentiam sui corporis, non venit ad Gentes, sed venit in Apostolorum personis, praesertim Pauli, & per illos locutus est: vnde & dixit Apostolis, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri is est, qui loquitur in vobis* [Matt. 10.]: Spiritus autem Patris est etiam Spiritus Christi: Ergo Christus loquebatur in Apostolis per suum Spiritum: confirmante hoc Apostolo ipso, ac dicente, *An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur, Christus?* [2. Cor. 13.] Verè igitur dixit Apostolus, Christum venisse & praedicasse etiam ijs, qui erant procul, id est, Gentibus.

[Observ. 1.] Ita obseruanda est hîc majestas ministerij Ecclesiastici: quando Christus ille ipse est, qui in personis legitimorum ministrorum venit ad nos, & praedicat Euangelium per illorum ora, & Sacramenta administrat per ipsorum manus: per sese autem, perque suum Spiritum in Electorum cordibus veritatem Euangelij inscribit, & virtutem Sacramentorum efficaciter operatur. Duo enim Actionum genera sunt in ministerio, quando cum Electis agitur: vna est externa, externa nimirum Euangelij praedicatio, & externa aquae, panis & vini administratio: altera interna, interna scilicet cordis à peccatorum sordibus ablutio, ac regeneratio, interna veri corporis Christi manducatio, & veri sanguinis eius potatio. Vtriusque autem autor & effector est Christus: vnus per se, ac per Spiritum suum, alterius per homines. Ita primarius, verusque minister Ecclesiae, & Episcopus, est Christus: quia is est, qui ad euangelizandum nobis pacem, & ad eandem per Sacramenta, non externis tantùm actionibus, sed maximè internis, confirmandam quotidie venit: vt eam nimirum, cordibus nostris inscribat, inculpat, infigat.

Hinc etiam liquet ad alteram, quae fieri potest, quaestionem responsio:

[Quaestio 2.] Quorsum (inquit aliquis) haec pacis praedicatio? si facta est in cruce: citra omnem controuersiam, omnes illi, quibus à Christo placatus & reconciliatus fuit Pater, seruabuntur, etiamsi nihil vnquam hac de re audire potuerint, vt liquet de infantibus fidelium.

Resp. Quod dicis, non inficiamur, immò confirmatum fuit à nobis paulò ante propositione quarta. Neque enim perire possunt, quos semel Christus seruauit sanguine suo. Sed non sequitur, frustra ergo pacem hanc cum Deo factam prædicari. Habet enim suos vsus, eosque magnos, & salutare: quorum tres sunt praecipui: inseparabiles quidem à se inuicem, sed tamen distincti inter se

1. Primus est fides, qua ex auditu Euangelij, Christum pacem nostram, beneficiumque reconciliationis nobis per eum partae cognoscimus, & amplectimur, eoque iustificamur.

2. Alter est pax conscientiae, quam ex cognitione Dei nobis reconciliati & placati per Christum, consequimur.

3. Tertius est, nostri vicissim cum Deo reconciliatio, eoque & regeneratio, mutatioque vitae, qua Deum glorificamus.

Singulos breuiter explico: sed si prius declarem, quid sit Deum nobis reconciliatum esse per Christum, seu quid sit haec pax, quam Euangelium annunciat per Christum factam esse inter Deum, & inter nos.

Quòd legimus & audimus, Deum per Christum nobis esse placatum & reconciliatum: non est id vlllo modo carnali & humana cogitatione intelligendum, quasi in Deo facta sit aliqua mutatio, sicut in nobis fit, cùm exiratis placamur, & ex inimicis fimus amici, odio in amorem, mutato. Tales de Deo cogitationes procul absint à mentibus fidelium. Deus enim, & quicquid in Deo est, prorsus immutabile est: eoque & amor, quo nos electos suos amauit ab aeterno in Christo, immutabilis ac sempiternus est: & odium, quo dicitur reprobos impios odisse, nunquam mutatur: id quod & de ira, quae in Deo esse dicitur, omnino intelligendum est. Quid autem ijs nominibus & Attributis, amoris, odij, irae intelligendum sit, in libro de Natura Dei abundè fuit explicatum. Certum tamen est, nominibus istis, seu locutionibus, nimirum Deum esse placatum & reconciliatum, mutationem aliquam significari: quae cùm non cadat in Deum, eam aut in nobis fieri, aut in Dei effectis omnino necesse est. Sed quae fit in nobis, ea vocatur nostri cum Deo reconciliatio, de qua 2. Cor. 5. *Obsecramus pro Christo, reconciliemini Deo*: Euangelium autem annunciat pacem, qua Deus placatus nobis esse dicitur.

Notandum igitur est, cùm scriptura dicit, Deum in Christo, & per Christum nobis reconciliatum esse, seu iram ipsius placatam, his & similibus locutionibus hoc propriè significari: nempe, Christum vsque adeò sua obedientia, sanguine, morte, & sacrificio crucis, iustitiae diuinae pro peccatis nostris satisfecisse, vt ira illa immensa Dei & aeterna, id est, mors aeterna peccatis nostris debita (ea enim effectum est irae, quae in Deo est, id est, iustae voluntatis Dei decretique diuini, de puniendis peccatis nostris) vt inquam illa ira Dei, id est, aeterna mors, auersa à nobis sit propter Christum, immo in summam beneuolentiam erga nos, id est, in donum aeternae vitae & felicitatis conuersa: erga nos inquam qui electi fuimus in [page 146] Christo ante Mundi constitutionem: & pro quibus propriè mortuus est, & satisfecit diuinae iustitiae Christus. Haec propriè est pax, quam Christus & fecit, & factam esse inter Deum & nos, per Euangelium annunciauit & annunciat:

Sicut & ex Esaia Apostolus declarauit ad Rom. 10. *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona, euangelizantium salutem.* Posterioribus verbis explicauit priora, quid scilicet sit euangelizare pacem, inter Deum & nos factam: nimirum nil aliud, quàm euangelizare, propter satisfactionem Christi, nos ab ira Dei, id est, à malis, quæ nobis debebantur, esse liberatos: Et contrà, bona quæ non debebantur, esse consecutos, id est, salutem, vitamque æternam. Iis enim effectis, & beneficijs declaratur, Deum nobis esse propitium, nos amare et complecti, vt filios in Christo, qui amor Dei erga nos non tum coepit, cùm Christus pro nobis satisfecit in cruce, sed longè ante, id est, ab omni æternitate præcessit. Imò ex illo amore æterno factum est, vt Christus sit missus ad tollenda peccata nostra in cruce, liberandosque nos ab ira Dei, cuius eramus naturâ filij: id est, ab æterna damnatione nobis debita. Hoc demum est, Deum nobis placatum esse per Christum. Ita videmus, per hanc pacificationem, & reconciliationem, nullam esse factam in Deo mutationem, sed in effectis: quia quæ debebatur ira, id est, æterna mors, mutata est in summam beneuolentiam, id est, in donum vitæ æternæ atque salutis, manifestum beneuolentiæ diuinæ testimonium.

Nunc intelligimus, quid sit, Deum illius quæ iram placatam per sanguinem Christi: ac proinde quid sit illa pax, quam Christus fecit inter Deum Patrem & internos, quamque per Euangelium annunciauit & quotidie annunciat omnibus, tam ijs qui longè, quàm ijs qui propè. Hinc facilè etiam intelligimus, quanquam pax semel facta per Christum in cruce, firmata & constabilita est, ita vt quibuscunque placatus est Deus, ij perire nullo modo possint: non interim tamen frustra per eundem Christum pacem hanc euangelizatam fuisse, & euangelizari quotidie: sed habere suos salutare, immo ad fruitionem istius pacis, necessarios vsus.

[1. Operatio fidei.] Primus igitur est, quòd dum audimus prædicari nobis hanc pacem inter Deum, & inter nos, esse factam, idque per Christum filium Dei, factum propter nos filium etiam hominis, & pro nobis in cruce mortuum: Et quidem totum hoc, ex æterno Patris decreto, & propter eximiam charitatem, qua dilexit nos, esse peractum: Ex auditu inquam huius Euangelij, gignitur in nobis fides (vt est ad Roman. 10.) qua & Deum immensamque eius erga nos bonitatem, & Christum, quis & qualis erga nos sit, & tam magnum atque admirandum huius pacis per Christum factæ beneficium, omnem humanum captum alioqui superans, cognoscimus, & cognitum

amplectimur. Quid autem hac cognitione & fide magis necessarium? Haec enim est certa nostri iustificatio & salus: cùm credimus Euangelio, hanc pacem annuncianti: quae iustificatio tum remissione peccatorum, eoque & liberatione à morte aeterna, tum imputatione iustitiae, atque obedientiae Christi, eoque & donatione vitae aeternae constat.

Hic est primus praedicationis Euangelij vsus & fructus.

[2. Pax conscientia.] Alter, est pax conscientiae, quae ex fide, de certissima pace cum Deo per Christum comparata, eoque ex iustificatione nascitur: dicente Apostolo, *Iustificati igitur ex fide, pacem habemus ad Deum* [Rom. 5.]. Nam antequam certiores fiamus de remissione peccatorum, eoque de Deo erga nos bene affecto propter Christum: conscientia nostra semper fluctuat, aestuat, varijsque agitur procellis, metuens ne Deus tandem aliquando peccata nostra vlciscatur. Nemo est enim, qui non sit conscius peccatorum: Et qui etiam ignoret Deum esse iustum iudicem & vindicem scelerum. Quomodo igitur potest conscientia esse pacata, antequam de pace cum Deo facta, certior fiat? Fit autem certior ex Euangelij prædicatione, si illi credat. Quare non frustra Christus factam à se pacem, euangelizari etiam voluit, & vult.

[3. Nostri reconciliatio.] Tertius vsus est, nostri vicissim cum Deo reconciliatio. Differt enim haec, qua nos quotidie cum Deo reconciliamur, ab illa, qua ipse semel per Christum nobis placatus & pacatus fuit. Locus de vtraque insignis est in 2. Corint. 5. à ver. 18 in finem vsque capitis. Vbi primùm ait, Deum fuisse in Christo, mundum sibi reconciliantem (id est, vt explicat) non imputantem illis peccata ipsorum. Atque hoc est quod Euangelium annunciat: Deum scilicet propter Christum placatum, non imputare amplius nobis peccata. Deinde proofficio sibi iniuncto rogat Apostolus Corinthios, vt Deo ipsis reconciliato, vicissim & ipsi reconcilientur: *Rogamus* (inquit) *reconciliemini Deo*. Quid autem est reconciliari Deo? Est iram, odium, & simultatem, quam aduersus Deum conceperamus, deponere, illumque agnoscere, & habere pro amico, pro benefactore, pro seruatore, pro nostro Deo, pro Patre, illique promittere fidem, amicitiam, obsequium, obedientiam. Sic enim solent & debent, qui alteri reconciliantur, facere.

[Deum an quis oderit.] Sed fieri ne potest, vt quis odio habeat Deum? Resp. Deum nemo simpliciter odit, quatenus scilicet Deus est summum bonum, omnibus benefaciens: pugnat enim hoc cum natura, odisse beneficos, quatenus beneficisunt: imò omnes appetunt & amant bonum: Ergo Deum simpliciter quatenus est summum bonum, nemo odisse potest: Sed omnes homines, [page 147] ante conuersionem ad Christum, Deum oderunt κατὰ τὴν, quatenus scilicet est peccatorum nostrorum conscius, & iustus Iudex. Nemo enim vellet peccata sua alijs, pręsertim iudicibus, innotescere, neque etiam puniri, vt notum est. Cùm igitur omnes homines peccent, & omnes à natura edocti sciant Deum omnia nostra scelera videre, & praeterea esse illorum vindicem: Philautia efficit, vt omnes oderint in Deo has proprietates, sapientiam, qua videt mala nostra, & iustitiam, qua eadem vlciscitur. Odisse autem haec in Deo: an non est odisse Deum, qualis enim Deus fuerit, si neque omnia norit ac videat, & si peccata non puniat, ac iustus non sit? Ergo antequam quis persuasus sit de pace facta per Christum inter Deum, & inter nos, eoque de remissione peccatorum: fieri nequit, vt Deo pareat, illum pro amico habeat, illique velit esse subiectus, & amicus. Hoc autem est nolle Deo reconciliari.

Atqui per Euangelium fimus certiores de pace facta: per Euangelium igitur hoc consequimur beneficium, vt certi de placato nobis Deo, nos illi vicissim libenter reconciliemur, depositoque odio, illum amare incipiamus, eique ex animo subijciamus nos ipsi, & eius voluntati obtemperemus. Quid hoc autem est, quàm renouatio cordis, atque animi, totiusque hominis regeneratio? Qui autem sic renatus, & renouatus, amicusque Dei effectus est: is cum omnibus etiam amicis Dei, id est, cum pijs omnibus, pacem & amicitiam colet, quantum potest, in Domino, & perpetua sanctitate vitae Deum glorificare conabitur. Hi sunt tres praecipui vsus praedicatae nobis pacis, per Christum partae.

Quò pertinet, quod in scripturis legitur & scribitur, de triplici pace, de pace cum Deo, de pace nobiscum & conscientiae, de pace cum proximo. Omnem autem pacem habemus à Christo, per Euangelium nobis manifestato: quia omnem etiam nobis suo sanguine comparauit.

4. Addo quartum vsum, qui est ex accidenti: is est, quòd dum praedicatur haec pax, electis credentibus, reprobi non credunt, sed sua incredulitate illam

reijciunt: Hinc verò fiunt ipsi inexcusabiles, Deus autem cùm postea in eos fert sententiam, iustus ab omnibus agnoscitur & praedicatur, eoque & glorificatur.

Quòd verò priori loco ait, Christum praedicasse hanc pacem ijs, qui longe, id est, Gentibus, & post subdit, & ijs qui propè, id est, Iudaeis, cùm tamen legamus Christum prius Iudaeis per sese praedicasse Euangelium, & postmodum per Apostolos Gentibus: id non credo ab Apostolo factum esse imprudenter aut voluisse Iudaeis illam eripere gloriam, quam saepe illis attribuit, cùm ait, Euangelium esse in salutem omni credenti, Iudaeo primùm, & (deinde) Graeco [Rom. 1.]: Sed voluit significare, Ephesijs, alijsque Gentibus, quanquam illi fuerint longinqui, Iudaei autem & loci vicinitate, & foederis societate propinqui, non propterea tamen Christum illos prę Iudaeis contempsisse, aut posteriore loco habuisse in salutis & pacis cum Deo communicatione. Immo impleri iam coepisse, quod Christus saepe solitus fuit dicere, futurum scilicet, vt qui debebant esse primi, ij fiant nouissimi: Et qui nouissimi erant, fierent primi. Proinde videmus non diu fuisse Euangelium post resurrectionem Christi praedicatum Iudaeis, & quidem paucis etiam efficaciter fuisse praedicatum: sed illis hanc contemnentibus pacem, Apostolus se contulisse ad Gentes, illisque pacem hanc lummo & maximo cum fructu per totum terrarum orbem annunciasse, & euangelizasse. Futurum tamen dicit Apostolus ad Roman. *Vt postquam intrauerit plenitudo Gentium: totus quoque Israel, qui reliquus fuerit, saluus fiat* [Rom. 11.]. Ita reuera, primi facti fuerunt nouissimi: & qui nouissimi esse videbantur, facti fuerunt primi: Et qui procul erant, facti sunt propius, nempe Gentiles, & qui propinquiores erant, ratione loci & foederis, factilunt longinquiores in pacis receptione, si totum Israëlem, de quo Apostolus ad Rom. respicias, qui ad finem conuertendus est ad Christum, ablato velamine, quod adhuc manet super corda eorum.

Hanc puto esse caussam, cur Apostolus primùm dixerit, *Vobis qui longe*, & post subiecerit, *Et iis qui propè*. Pluribus enim & efficacius praedicauit Christus per Apostolos pacem hanc inter Gentes, in longinquis à Iudaea regionibus, quàm fecerit per sese in sua Palestina suis vicinis Iudaeis. Quia tamen eadem efficacitate euangelizaturus est ad extremum sub finem seculi, etiam reliquis Iudaeis: ideo secundo loco ponuntur, & Gentiles priori. [Ver. 18.] Ὅτι δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν, *ambo in vno Spiritu ad Patrem*.

Bifariam exponi potest iste versus: *Primò*. vt illud ὅτι, particula sit explicatiua, quòd: quo sensu non semel & iterum accipi legimus in sacris literis: Vel sit ἀπαιτολογική, enim. 1. Si prima interpretatio admittatur, Sensus fuerit iste, CHRISTVM euangelizasse pacem vtrisque, Gentibus & Iudaeis: quam nam pacem? nempe, Quòd vtrique accessum iam habent ad Patrem, placatus cùm sit sanguine filij. 2. Si secunda, quae magis probatur, & magis etiam recepta est, sensus fuerit, Christum ideo pacem euangelizasse, non solis Iudaeis, sed etiam Gentibus: quoniam vtrique etiam, & non soli Iudaei accessum iam habeant seu adductionem, ad Patrem: quasi dicat, quoniam vtrique pacem hanc consecuti sunt: ideo vtrisque etiam fuit annuncianda. Huic interpretationi fauent illae tres particulae, Prima, οἱ ἀμφοτέροι: Secunda, ἐν ἐνὶ πνεύματι: Tertia, *ad Patrem*, nempe vnum vtriusque populi ex [page 148] aequo communem. Placet haec secunda interpretatio: tantùm hoc velim addi, voluisse Apostolum probare, Christum non solùm Patrem in cruce tam Gentibus quàm Iudaeis reconciliasse, verùm etiam sua praedicatione, fecisse huius pacis participes, tam ipsos Gentiles, quàm pios ex Iudaismo: vnde probat? ab effectu: hoc est, ab inuocatione eiusdem Patris, per eundem Christum, in eodem Spiritu: vt argumentum tale sit: Vtrique per eundem Christum, inque eodem Spiritu, ad eundem Patrem inuocandum adducimur, seu accessum habemus, & accedimus: hoc assumit tanquam manifestum. Ergo tam vobis Gentibus, quàm nobis Iudaeis, & Pater per Christum est reconciliatus, & per eundem Christi Spiritum pax haec efficaciter annunciata est, & communicata: vt de vocatione vestra ad gratiam Euangelij, dubitandum non sit, quin fuerit à Christo per suum Spiritum, cum me ad vos misit, euangelizatum.

Cum hac interpretatione ita explicata optimè congruit conclusio, quae sequitur, *Ergo iam non estis amplius hospites & aduenae, sed estis*, (nempe reipsa propter efficacem Christi per meum ministerium vocationem) *ciues sanctorum, & domestici Dei, &c.* Neque enim mihi dubium est, quin Apostolus voluerit concludere, Ephesios non solùm per Christum in cruce fuisse reconciliatos Patri: verùm etiam huius reconciliationis & pacis, vnà cum Apostolis alijsque piis inter Iudaeos, per eundem Christum, communicato suo Spiritu in ministerio Pauli, iam reipsa factos esse participes. Non igitur permittendum esse, vt abducantur à Christo: id quod fieret, si sinerent, sibi persuaderi, ad salutem non sufficere fidem in Christum,

sed opera etiam legis esse necessaria. Haec est summa horum duorum versuum. Interim quaedam explicanda & obseruanda sunt in hoc v. 18.

[Observ. 1.] Ex dictione, ὅτι, quoniam: Seu ex eo, quòd probat ideò Christum prædicasse pacem non solùm Iudaeis, sed etiam Gentibus, quia vtrique etiam accessum iam habeant ad eundem Patrem, per eundem Christum, & in eodem Spiritu colligimus caussam, cur Euangelium prædicandum sit non solis Iudaeis, nec solis Gentibus, sed tam vnis quàm alteris, eam esse, quia nimirum neque solis Iudaeis, aut solis Gentibus, sed vtrisque simul patefecit Christus aditum ad Patrem, vtrisque ex aequo reconciliatum, & placatum.

At, inquires, Ergo hinc etiam sequitur, non esse prædicandum Euangelium reprobis, quoniam illis non est reconciliatus Deus: Christus enim pro solis Electis mortuus est, & non pro reprobis, sicut idem dixit in sua oratione, Non rogo pro mundo, sed pro ijs qui credituri sunt in me. Ioh. 17.

Resp. Optimè dicis. Est enim regula Christi, & mandatum, *Nolite sanctum dare canibus, & nolite margaritas spargere ante porcos* [Matt. 7.]. Sed hîc duo requiruntur: Primùm, Vt noris qui sint reprobi, & qui non: Si enim non noris, quomodo poteris dissimulare illis Euangelium? Secundò, Etiam si nesses, si tamen mixti sint cum Electis, Euangelium est omnibus proponendum propter Electos, vt ipsi salui fiant. Exemplum habemus Christi: qui licet nosset, quinam inter Iudaeos essent electi, & qui reprobi: quia tamen cum reprobis mixti erant electi, idcirco in gratiam Electorum, omnibus proponebat Euangelium, vt qui haberent aures ad audiendum, audire possent & seruari.

[Observ. 2.] Sed maioris momenti est, quod scribit Apostolus, de accessu nostro ad Patrem, per Christum, in eodem Spiritu. In hoc enim consistit Christiana pietas, nostraque salus: vt habeamus accessum ad Patrem, & ad illum verè accedamus. Est igitur diligenter hic locus de accessu ad Deum, examinandus: praesertim quia frequenter occurrit in sacris literis. Sciendum igitur est duplicem esse ac De accessum ad Deum: Vnum qui fit dum sumus in hac carne: alterum qui fiet, cùm exuti hac carne, veniemus praesentes in eius conspectum, & ille erit omnia in nobis. De priori loquitur hîc Apostolus.

Obseruo autem in hoc contextu capita de isto accessu sex:

1. *Primum*, Quinam habeant accessum ad Patrem: nempe omnes quibus reconciliatus est Pater per Christum, in cruce, tam Gentiles, qui longè erant, quàm Iudaei, qui propè: ij autem sunt tantùm electi ex vtroque populo. Excluduntur ergo reprobi, quibus non est pars in hac pace & reconciliatione. Isti neque habent, nec vnquam habituri sunt hunc accessum, de quo Apostolus loquitur: eoque nec alterum in coelo.

Sunt porrò Electi, quibus Deus est reconciliatus per Christum, dum generum: alij, qui annunciatam pacem ac reconciliationem per Euangelium, credunt, fideque amplectuntur: ac proinde iustificati & pacem consequuti, ipsi quoque posita omni falsa, quam de Deo conceperant, opinione, positoque omni odio, Deo vicissim reconciliantur. His non solùm patet accessus ad Deum, sed etiam sumta fiducia ad eum reipsa accedunt, eum inuocant, deprecantur culpam, praeteritaque peccata omnia condonari petunt, promittunt fidem & obedientiam, & in summa confugiunt ad eum in omnibus suis necessitatibus, tanquam filij ad Patrem. Alij sunt, quibus aut nondum praedicata est haec pax, aut qui annunciatam, sed nondum persuasam, nondum etiam sunt amplexi, amplexuri tamen suo tempore. Ijs semper patet aditus ad Deum: verum nondum audent accedere, quia nondum norunt Deum sibi esse placatum: accessuri tamen, vbi hanc pacem per Christum factam verè intellexerint, persuasamque habuerint.

[page 149] Hoc est primum caput: de illis, qui accessum iam habent ad Deum, Electi nimirum, qui iam per fidem conscientias habent pacatas.

[II. Per quem.] Secundum est, per quem habeatur iste accessus: neque enim cuiuspiam patet accessus ad Deum, nisi per Mediatorem aliquem, & ductorem, qui nos adducat, & in conspectum Dei sistat. Proinde Apostolus hunc accessum, non simpliciter vocauit accessum & additum: sed προσαγωγήν, adductionem, quia fit per alterius ductum & manum.

Romani habebant suos minores Deos, qui adducerent ad louem: Alij suos sanctos, qui pro ipsis intercedant, & per quos adducantur ad Deum.

Apostolus autem ait nobis hunc, esse Christum, nempe solum, per quem habeamus accessum ad Patrem. Ille enim, qui fecit pacem, qui Patrem nobis

reconciliauit, qui vicissim nos reconciliat Patri, qui pacem item à se factam euangelizat, quique aperuit aditum ad Patrem: is etiam solus est, per quem adducamur ad Patrem: Ideo ait Apostolus, δι' αὐτοῦ *habemus*. Hoc idem Christus confirmat, dicendo: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*: Item, *ego sum via*, scilicet ad Patrem. Ioh. 14.

[III. Qualis accessus.] Tertium, de ipso est accessu, qualis sit: ait enim, nos habere προσαγωγήν. Primum, omnis ad Deum accessus, amicitiam cum Deo significat: sicut quòd alicui semper pateat aditus ad Regem vel Principem, testimonium est amicitie. Quòd igitur per Christum pateat nobis aditus ad Patrem, significatur nos per Christum factos esse amicos Dei Patris. Deinde omnis liber aditus ad Deum: sicut & ad aliquem Principem, duplex est: Vnus eorum qui semper fuerunt amici Dei, & eum nunquam offenderunt. Talis est aditus, quem habent Angeli boni, ad Deum. Sunt enim & semper fuerunt in conspectubei, tanquam perpetui & constantes amici Dei. Alter eorum, qui in Deum peccarunt, eumque iniurijs affecerunt. Talis est aditus noster: ac proinde qui duabus rebus opus habet, Primùm, vt per quem fuimus reconciliati Deo, per eundem etiam ad Deum adducamur, qua de re supra dictum est: Deinde vt semper cum fiducia quidem & παρρησίᾳ propter Christum, sed tamen etiam cum humilitate, animique demissione accedamus ad Deum, memores iniquitatum nostrarum in eum admislarum, quanquam condonatas esse non dubitemus, dubitare debeamus. Hoc modo affecti sancti omnes, nempe & fiducia propter Christum, & animi demissione propter factas iniurias, licet condonatas, accedunt ad Deum, & accedere soliti semper fuerunt: quemadmodum multis exemplis ex sacris etiam literis demonstrari posset, si necesse esset.

[IV. in Spiritu.] Quartum, est de eo quod dixit, Nos habere hunc aditum, in Spiritu.

Docet igitur, accessum hunc ad Deum, non esse carnalem, sed spirituale: nec fieri pedibus corporis, sed Spiritus. Idque iure: quoniam Deus quoque spiritus est, & qualis spiritus? immensus & vbique praesens: ac proinde ad quem vt accedas, non est opus pedum & corporis motu: sed mentis tantùm, ac spiritus actione. *Quò enim ibo a spiritu tuo* (dicebat Dauid) *aut quò à facie tua fugiam: si ascendero in coelum, tu illis es: &c* [Psal. 139.]. Quod Dauid de fuga à Deo dixit: idem de accessu ad Deum, nobis dicendum est.

Accessum (inquit Apostolus) *habemus in Spiritu*. Quid hinc sequebatur, & sequitur? nimirum, tam qui procul erant, quàm qui propè, eodem temporis momento accedere potuisse ad Deum. Sequitur etiam accessum nostrum in coelum, qui nunc sit, ad Christi corpus in coelo existens amplectendum & percipiendum, nobisque incorporandum, non opus habere longa mora, quia fit in spiritu, & spiritualis est.

Conclusio verò est, ad hunc accessum opus esse Spiritus sancti auxilio: qui spiritum nostrum afficiat, ducatque ad Deum, & ad Christum in coelo sedentem, hoc est, inde dominantem & regnantem. Loquitur enim Apostolus de Spiritu sancto nostrum spiritum regente.

[V. Vno Spiritu.] Quintum est, quòd non solùm dicit, in Spiritu, sed in vno Spiritu.

Ad vnitatem semper Apostolus omnia reuocat, cùm alibi, tum praesertim in hac Epistola. Vnus est Deus, vnus Mediator, Iesus Christus, vnus Spiritus, vna Ecclesia ex duobus populis collecta, imò duo populi in vnum hominem conditi. Sicut ergo dixit, accessum hunc haberi per vnum Mediatorem Christum, ad vnum & eundem omnium Patrem, sic etiam ait haberi in vno & eodem Spiritu.

Loquitur autem de persona Spiritus sancti: de quo ad Rom. c. 8. quòd ipse interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: id est, quòd faciat interpellare: & ad Gal. quòd in eo nobis donato clamemus Abba Pater. Gal. 4.

Docet igitur omnes fideles vnum & eundem Spiritum habere, ab vno & eodem Patre, per vnum & eundem Filium Mediatorem: omnes ab eodem duci & regi Spiritu Dei, eoque omnes in eodem Spiritu accedere ad Deum Patrem, eumque inuocare. An non etiam singula corporis membra, ab vna & eadem anima ad suas quodque actiones & motus, aguntur & reguntur? Hinc sequitur eiusdem corporis membra non esse, què non ab vno & eodem Spiritu, sed à diuersis mouentur & ducuntur: Et sic de corpore Ecclesiae sentiendum est. Omnes enim fideles tam longinqui, quàm propinqui, in eodem Spiritu (inquit Apostolus) accessum habent ad Deum Patrem, eumque inuocant. Si autem hoc. Ergo qui diuersa fideleum inuocant, diuerso etiam spiritu inuocent, oportet. Vt enim vna est fides, sic etiam vnus spiritus in mentibus fidelium.

[VI. Ad Patre.] Sextum, est de eo, ad quem habemus accessum hunc non dicit Apostolus, habemus accessum ad Deum, sed ad Patrem: Patrem inquam & Christi & nostrum [page 150]: quò illud Christi, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum &c* [Ioh. 20.].

Docet igitur neminem habere hunc accessum ad Deum, nisi illum pro Patre & Iesu Christi naturali, & suo per gratiam, agnoscat. Proinde, cùm Christus etiam docet, quomodo debeamus accedere ad Deum & eum inuocare, Primùm iubet nos agnoscere eum pro Patre nostro, qui etiam Pater est Christi, eumque inuocare, dicendo: *Pater noster qui es in coelis*.

Hinc etiam efficitur, accessum hunc non pertinere nisi ad filios Dei, qui Deum pro suo Patre agnoscunt: quòd filiorum tantum sit, Deum vt Patrem inuocare. Quomodo igitur qui non credunt filios se esse Dei, inuocare Deum possunt vt Patrem, & dicere possunt *noster*? Atque haec de accessu ad Deum, per solum Christum satis: quo manifestè refellitur doctrina quorundam, de inuocatione Sanctorum, vt per eos ad Patrem adducamur. *Nemo venit ad Patrem* (inquit Christus) *nisi per me*. Quomodo igitur per sanctos, sanctorumque intercessionem? Sed hac de re aliàs.

Summa igitur est, sicut per solum Christum, Pater nobis reconciliatus est, & per solum Christum pax haec efficaciter nobis annunciatur, & communicatur: sic per solum Christum nos habere accessum ad Deum Patrem, & cum sanctis omnibus communionem. Sequitur ergo totius capitis conclusio, quae est de consociatione duorum populorum, in vnum Ecclesiae corpus. Vnde apparet quanta sit gratia Dei, per Christum Gentibus praestita.

QVARTA PARS.

[Ver. 19.] *Iam igitur non estis hospites, & incolae, sed ciues Sanctorum & domestici Dei, &c.*

Summa horum quatuor versuum, haec est. Apostolus, posteaquam exposuit rationem, qua per Christum liberati fuerunt Ephesij ab omnibus illis malis, quae descripsit, partim initio capitis, partim fusius versu 11. & 12. & qua contrà, magnis donati fuerunt donis, reconciliati cum Deo, & cum Ecclesia

eius coniuncti ac consociati: nunc breuiter repetens, quales antea fuerint, nempe alienati ab Ecclesia & ἄθεοι, concludit iam illos beneficio Christi, factos esse ciues Sanctorum & domesticos Dei, eoque vera esse membra Ecclesiae, cuius caput est Christus, & in qua sola Deus regnat & regnaturus est in sempiternum. Ita occasione hinc accepta, describit Ecclesiam quid sit, quantaque eius felicitas: idque tribus similibus, quorum vnum praestantius est altero, & magis vnitatem, felicitatemque Ecclesiae exprimit. Primò comparat Ecclesiam ciuitati, dicendo: estis ciues sanctorum: Secundò domi, vbi inter domesticos maior etiam & arctior, quàm inter ciues vigere soleat, esse debet amor & familiaritas. Tertiò comparat templo Dei, vbi lapides maximo & arctissimo nexu, & cum fundamento & inter se sunt constructi.

Scopus autem Apostoli est concludere, quando igitur sola gratuita Dei bonitate per solum Christum, consecuti sint communionem cum Deo & cum sanctis omnibus, liberati à tot malis, & adepti tot tantaque bona: maneant constantes in doctrina Apostolorum, & Prophetarum, quae nil aliud docet quàm Christum: quòd per hunc solùm habeatur salus: curentque vt in fide Christi incrementum faciant.

Caeterùm, quò melius totus iste contextus doctrinae, quam hîc tradit de Ecclesia intelligatur: breuiter quid quoque versu contineatur, aperio.

[Summa v.19.] Primo versu huius quartae particulae, id est, ver. 19. concludens Apostolus ex prædictis. Ephesios consociatos Ecclesiae, & reconciliatos Deo, iam non esse amplius hospites & peregrinos, sed ciues Sanctorum, & domesticos Dei, doctrinam hanc generalem tradit: nempe quicumque per Euangelium à Christo efficaciter vocati sunt ad fruendum illa pace, quam ipse nobis cum Deo & cum sanctis omnibus, suo sanguine comparauit, ac proinde, qui eundem Patrem, per eundem Christum in eodem Spiritu sancto inuocant: eos cuiusque sint nationis, & vbicunque sint locorum, eiusdem ciuitatis vel regni ciues, immo eiusdem familiae Dei domesticos esse: id est, communionem habere cum Deo, & cum sanctis omnibus, eoque esse eiusdem corporis Christi membra. Atque ita simul etiam innuit duplicem Ecclesiae definitionem: Vnam, quòd sit ciuitas vel regnum, quod constat multis ciuibus illisque sanctis, qui ab vno & eodem rege Christo regantur, defendantur, multisque bonis ditentur, & qui vicissim regi fidem &

obsequium praestent, & ad praescriptum legum ipsius, vitam in pace & charitate instituant. Alteram definitionem quòd sit familia Dei, quae in eius conspectu viuat, eique ad ipsius voluntatem inseruiat, haeres bonorum ipsius, eoque vitae aeternae,

[Ver. 20.] Dicens, Ephesios esse dificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum: hoc est, super fundamentum, quod toti Ecclesiae superstruendae iecerunt Apostoli & Prophetae, & hoc fundamentum esse lapidem quendam imum angularem, id est, Iesum Christum, qui vtrumque populum tanquam duos parietes, simul in seipso coniungat: a tertio simili nempe templi, definit Ecclesiam, eam esse templum Dei, cuius fundamentum sit Christus, tale inquam fundamentum, quod non solùm totum aedificium sustentet, sed etiam quod diuersos parietes in seipso coniungat atque viuat [page 151]: aedificatores templi, esse Apostolos & Prophetas, adeoque omnes, qui iuxta doctrinam Apostolorum & Prophetarum, Christum praedicant: lapides, qui superstruuntur, esse Electos omnes.

[Ver. 21.] Manens in inchoata Thesi de Ecclesia, ac qualis sit, quantaque eius felicitas, describens, qualitates quatuor seu conditiones ac proprietates Ecclesiae explicat.

1. Quòd totum hoc Ecclesiae aedificium, eoque quòd singulae partes, atque adeò singuli lapides, qui superstruuntur, summa cum ratione, atque prudentia simul coagmentati sint, & coagmententur: ita vt quisque in Ecclesiasuam habeat sibi congruentem functionem, pro qualitate donorum Spiritus sancti.

2. Quòd & fundamentum sit vinum atque viuificans, & lapides viui, atque à fundamento viuificati: nempe instar arboris, cuius radix ac truncus viuut & viuificat, & rami viui sed viuificati. Hoc docet, cùm ait, totam aedificationem crescere in templum. Neque enim tale incrementum fieri potest, nisi in rebus viuentibus, & incrementum ex actionibus animae regenerantis & nutrientis, capientibus.

3. Quòd totum aedificium capiat incrementum, intellige non solùm accessione lapidum, sed quòd inprimis lapides ipsi viui, vitam & nutrimentum capientes à fundamento, cui sunt superstructi, quotidie crescant in pietate, & virtutibus Christianis, & inter se magis ac magis charitate

coalescant, idque tantisper, dum tandem compleatur totum templum & perficiatur.

4. Quòd hoc templum, sit sanctum: id est, res non terrena, nec profana aut immunda, sed coelestis, sana, munda, spiritualis, Domino soli consecrata, & ea re, quòd sit templum, in quo solo Deus verè habitet, cognoscatur, ametur, colatur, inuocetur.

Haec est analysis versus 21

[Ver. 22.] Rediens ad Hypothesin, ac dicens affirmansque Ephesios in Christo aedificari, proficere capereque incrementum, vt sint κατοικητήριον Dei, idque propter Spiritum sanctum, à quo reguntur: docet sicut erat vnum tantum templum Salomonis, multa autem habebat κατοικητήρια, habitacula, è quibus constabat, sic catholicam Ecclesiam, vnam quidem esse, sed multas habere particulares, e quibus constat, alias in Oriente, alias in Occidente: Et has singulares quotidie magis ac magis exaedificari in Christo per Spiritum sanctum: nempe respectu Electorum vereque piorum, quibus illae constant Ecclesiae. Hi enim propriè aedificantur, & horum coetus crescit in Domino. Haec est perseuerantia sanctorum in fide, per Spiritum sanctum.

Haec est summa doctrinae, quam his quatuor versibus tradit Apostolus de Ecclesia Nunc omnia erunt facilia ad intelligendum.

[Ver. 19.] *Iam igitur non amplius estis hospites*, ξένοι καὶ παροικοί, &c.

Duo habet membra: in vno negat Ephesios esse iam amplius, quòd antea fuerant, priusquam scilicet credidissent Euangelio in altero affirmat nunc esse quod non fuerant: postquam scilicet Euangelium amplexi sunt Non sunt amplius ξένοι καὶ παροικοί: sunt autem συμπολίται sanctorum & domestici Dei. Ξένος, est peregrinus & extraneus: & refertur ad illud quod dixerat in v. 12. Eratis ξένοι τῶν διαθηκῶν, extranei à pactis.

Πάροικος, bifariam capi potest, aut proexule ac peregrino, qui exulat à patria & à proprijs aedibus, vagus & sine certo domicilio: παρὰ enim significat etiam praeter, & sine. Ideo πάροικος, sine domo, exul ab aedibus suis: 1. aut

pro tali peregrino capitur, qui apud alios tamen domicilium inuenit, veluti nos Itali, Belgae, Galli in his regionibus sumus hoc sensu πάροικοι.

2. Ad rem quod attinet, mihi dubium non est, quin etiam hanc dictionem referat Apostolus ad illud, quod supra dixerat, Eratis ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ ἰσραήλ: Illa enim particula, οὐκέτι declarat Apostolum dicere, Ephesios non esse amplius quod erant: fuerant autem ἀπηλλοτριωμένοι, abalienati à Republica Israël: fuerant ergo πάροικοι, sine domo Israël: Item ξένοι extranei à pactis promissionis. Ergo cùm nunc neget esse amplius quod erant, nil aliud sibi voluit his duobus dictionibus, quàm non esse amplius alienos ab Ecclesia, neque extraneos à foedere Dei: Sed contrà, esse iam respectu Reipubl. Israël, id est, Ecclesiae, conciues Sanctorum: respectu foederis cum Deo, esse domesticos Dei: quod etiam amplius est, quàm esse simpliciter in foedere.

Sed de quibusnam sanctis loquitur Apostolus, cùm ait, Ephesios factos esse ciues sanctorum? Ratio Antitheseos, qua supra dixerat, eos fuisse alienatos à Republica Israel, nunc autem factos ciues Sanctorum: videtur postulare, vt de Sanctis, id est, de Israëlitis, seu de Sanctis in illa Republ. Israel, intelligamus: quòd Israëlitaе fuerint nati ciues, Ephesij autem facti conciues.

Sed duo sanctorum genera erant in illa Republica: alij nomine tantùm, alij etiam re ipsa: seu, alij sanctitate duntaxat foederis, erant sancti, & ita tota illa Gens, sancta fuit vocata, quatenus omnes erant in foedere comprehensi: qua de re Rom. II. *Si radix sancta, & rami*: Et alibi saepe populus Dei Sanctus appellatur.

Alij praeter generalem foederis sanctitatem, erant etiam sancti sanctitate verae fidei, quatenus verè credebant in futurum Messiam: quales fuerunt Abraham & caeteri. De quibus Apostolus ad Hebr. 11. quod per fidem placuerint Deo, &c. Distinctio haec, certissima est. Nunc ad rem.

Manifestum est, Apostolum non loqui de primo sanctitatis [page 152] genere: 1. tùm quia illa sanctitas erat tantùm ex carne Abrahae, non secundùm Spiritum, eoque hypocritica, cùm erat sola: haec autem non probatur Deo: Apostolus autem loquitur be verè sanctis: 2. tùm quia hac ratione Ephesij transiissent in populum Israël, & ita ex duobus populis, non fuisset factus

vnus tertius, sed vnus conuersus ad alterum, Apostolus autem dicit, Christum duos condidisse in vnum nouum hominem. Ergo non intellexit Apostolus, Gentes transijsse in censum Iudaeorum secundum carnem, sed tantum eorum qui erant Iudaei etiam secundum spiritum: quales fuerunt ante Christum Abraham, Isaac, &c. Et post, Apostoli, Maria, Simeon, alijque pij.

Itaque cum dicit, *Conciues sanctorum*, intelligendum est cum hoc aduerbio, VERE sanctorum.

[Quaestio 2.] Sed hinc etiam dubitare quis poterit: cum loquitur Apostolus de veris sanctis, num de solis sanctis in Israële, an verò etiam de reliquis extra Israëlem intelligendum est Apostoli dictum? Sunt qui ad sanctos tantum in Israël referant, hoc est, ad Abraham, & ad semen eius verum, ad eos videlicet qui & secundum carnem erant ex Abraham, & secundum spiritum: & hac accommodant illud Christi, *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno coelorum*. Mat. 8.

Verum cum Apostolus hic de Ecclesia catholica loquatur, quae initium habuit à condito orbe mihi extra controuersiam est, Apostolum cum dixit, *Vos estis ciues Sanctorum*, intellexisse, omnium quotquot vnquam fuerunt & sunt, sunt verè sanctorum: tum qui in coelo, tum qui in terra. Adde etiam hanc rationem, quòd Apostolus amplificat donum, quod acceperunt Ephesij ex fide in Christum: Et facit illud longè majus damno, quod antea acceperunt ex sua gentilitate, atque praeputio, quo fiebat, vt extranei essent à Repu. Israël: quasi dicat, antea, quia eratis praeputum, alienati eratis à sancta Repub. Israël: At nunc quia credidistis in Christum, facti estis conciues non solum sanctorum, qui sunt & fuerunt in illa Repub. Sed omnium Sanctorum qui vnquam fuerunt, futurive sunt, tam in coelo, etiam Sanctorum Angelorum, quàm in terris, omnibusque mundi partibus. De societate Angelorum testimonium est Heb. 12.

Ad summam, loquitur hîc Apostolus de articulo Symboli, *Credo communionem Sanctorum*, scilicet omnium & verè sanctorum. Locus ad Hebr. hanc praesentem explicat. Nunc tenemus sensum Apostoli: Quicumque credunt in Christum, hos fieri regni coelorum, eoque conciues sanctorum omnium, tam eorum qui sunt in coelo, quàm eorum qui sunt futurive sunt in toto terrarum orbe.

Vbi verò est haec ciuitas, his constans ciuibus sanctis? Est enim vna tantum ciuitas, quia vna Ecclesia: vbi igitur est? partim in coelo, partim in terra: totum coelum occupans, & in omnes mundi partes sese extendens: sicut describitur in Apocalypsi, ad Hebreos: In Iesa. 1. Gal. 4. Hierusalem superna, quae est mater nostra. Omnes igitur sanctos complexus est Apostolus, & Angelos & homines, tam viuos, quam mortuos, dicendo: Vos estis ciues sanctorum.

Subdit alterum simile. *Et domestici Dei.*

Refertur partim ad illud contrarium quod dixerat, Eratis extranei à pactis promissionis, id est, non habebatis foedus cum Deo: partim ad illud, eratis sine Deo. Nunc inquit, non solum habetis Deum, & in foedere eius comprehensi estis, facti eius populus, & ciues, sed quod amplius est, facti estis eius domestici, & ex eius familia. Est amplificatio beneficij, quod propter fidem in Christum acceperunt Ephesij. Plus enim est esse domesticum alicuius principis, quam conciuem ciuium eius, & de populo ipsius.

[Quaestio.] Sed nunquid voluit dicere Apostolus, sanctos, quorum Ephesij facti fuerunt conciuēs fuisse tantum ciues, Ephesios autem amplius quid consecutos esse, nempe vt essent domestici Dei? Minimè verò: omnes enim erant & ciues, huius ciuitatis Hierosolymae (spiritualis ac coelestis) & domestici Dei. Sed vt dictum est amplificare voluit gratiam Christi: ideo non contentus dixisse, eos factos esse ciues sanctorum, subiecit, immo & domesticos Dei.

[Domestici Dei sunt soli eius filij.] Quid autem sibi vult esse domesticum Dei? apud nos domesticorum nomine, non solum liberi, sed etiam famuli & ancillae veniunt: sed apud Deum soli filij, cohaeredesque Christi intelliguntur. Primum enim Apostolus de sanctis loquitur: omnes autem vere sancti, veri sunt filij Dei. Deinde nulli sunt veri serui Dei, nisi qui sunt etiam filij Dei: reprobos enim & impios, pro seruis non agnoscit Deus, nec illorum probat seruitium Ies. 1. & alibi. Non est igitur cur nomine domesticorum alios intelligamus, quam eos qui & filij sunt, & haeredes regni coelorum. Ita liptote est in verbis Apostoli, quia plus intelligit, quam disertis verbis explicet.

[Observ. 1.] Hinc verò facilè est colligere, quanta sit illorum felicitas, qui sunt domestici Dei: quando omnes domestici sunt eius filij, & haeredes regni. Si item Deus est Paterfamilias istius: sequitur illum suorum curam gerere domesticorum. Nam apud nos, qui suorum & praesertim domesticorum curam non habet, is fidem negasse, & esse infideli deterior dicitur [1 Tim.]. Non potest igitur Deus non suscipere curam suorum domesticorum. Contrà intelligimus, quid nostri sit officij erga Deum, qui eius sumus familia. Nemo in familia aliqua viuit, qui (nisi sit proditor) non seruet fidem suo Domino, obedientiamque & honorem praestet.

Rursus intelligimus quomodo debeamus nos gerere cum reliquis domesticis: amicè, officiosè, modestè, honestè.

[Observ. 2.] Ex vtroque porrò simili docemur, quid sit Ecclesia: Primùm ciuitas Dei, quo nomine nihil frequentius in sacris literis: cuius typus fuit [page 153] Hierusalem, de qua tum apud Apostolum saepe ad Galatas & alibi, tum apud Iohan in Apocalypsi. Si ciuitas est, suum igitur habet principem, seu regem, à quo regitur, hic est Christus: suos item habet ciues, hi sunt Electi fideles: suas leges ad quarum praescriptum viuunt & reguntur ciues, hae sunt verbum Dei: locum vbi sita est: hic est coelum & terra vniuersa: nullibi enim locorum conclusa est, sed longè lateque patet.

Deinde Ecclesia domus est Dei: quod etiam nomen frequentissimum est in sacris literis: Ecclesia inquam tota, etiam quae in coelo est: & coelum ipsum, vbi Ecclesia triumphans habitat, domus vocatur, iuxta illud Christi, In domo Patris mei, mansiones multae sunt [Ioh. 14.]. Hoc testimonium est de domo coelesti, deque loco maiestatis diuinae.

At de militante Ecclesia est locus, 1. Timoth. 3. *Vt scias (inquit) quomodo oporteat te in domo Dei versari, quae est Ecclesia Dei viuentis.*

[Explicatio Ver. 20.] *Superstructi (superaedificati) super funda* Ver. 20. *mentum Apostolorum & Prophetarum, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ: existente (ad verbum) summo vel imo angulari lapide ipso Iesu Christo: Sic etiam Beza.*

Erasmus, *Vbi summus lapis angularis, est ipse Iesus Christus*: Vbi, id est, in quo aedificio seu in qua extructione.

Alij, *Cuius imus angularis lapis, &c. Cuius, (id est, vel fundamenti, vel aedificij) imus angularis (lapis) est ipse Iesus Christus*.

Ἄκρον significat omne extremum, tam imum, quàm supremum seu summum. Ideo alij vertunt imum, alij summum: sed vtrumque credo significari hic ab Apostolo, quia voluit explicare quodnam sit illud fundamentum, quod iecerunt Apostoli & Prophetæ, & quale. Fundamentum est Christus, ideò est imus lapis, cui totum innititur aedificium: sed tale est fundamentum, & ita constructum atque paratum, vt etiam ascendat ab vno latere ad summitatem vsque, tanquam angulus, diuersos coniungens in se parietes. Ideò est etiam summus angularis lapis idem Christus.

Non sunt igitur duo lapides, vnus profundamento, in ima parte positus, & alter pro angulo supremo, coniungens parietes diuersos: sed vnus est atque idem magnus lapis, imus in fundamento, & summus in angulo, id est, paulatim ascendens, ab imo in summum: nempe Iesus Christus.

Talis enim lapis describitur Ies. 28. 16. qui sit & fundamentum firmum, & angularis lapis, & vocatur à LXX. Interpretib ἄκρογωνιαίος lapis. *Ego (inquit) immitto in fundamenta Sionis, lapidem preciosum, electum, ἀκρόγων. νῆαρον, & gloriosum in fundamento fundatum*. Apostolum autem allusisse ad hunc locum Prophetæ, dubium non est. Cùm igitur Propheta faciat hunc lapidem talem, qui & fundamentum sit totius aedificij, & lapis angularis ab imo ad summum vsque pertingens. qui diuersos parietes coniungat in sese: non dubium est, quin Apostolus hic etiam idem facere voluerit.

Est igitur Christus, ἀκρογωνιαίος lapis, id est, & imus & summus, propter diuersa officia, vt modò explicatum est. Atque hoc pro Explicatione huius loci Nunc ad res ipsas.

Tria erant apud Iudæos insignia aedificia.

[Aedificia Iudaorum clara.] *Primò*, Vrbs ipsa, in qua ciues simul viuebant: *Secundò*, Domus regia, in qua familia regis, arctiori quàm ciues

necessitudinis vinculo coniuncti, seruiebant & ministrabant. Regi: *Et Tertiò*, templum, in quo Deo sacrificabatur, & is inuocabatur, ac colebatur.

Comparauit Apostolus Ecclesiam primùm ciuitati, nempe Hierosolymae, dicendo, Estis conciuēs sanctorum: Secundò, domui, id est, familiae regiae, dicendo, domestici Dei. Nunc transit ad templum: vt doceat Ecclesiam esse templum Dei. Nec immeritò. Ecclesia enim cum Christo capite, est vnum & idem corpus. Christus autem dixit suum corpus, esse templum, Iohan. 2.

Soluite templum hoc, etc. Summam ergo propinquitatem & coniunctionem cum Deo significare voluit Apostolus.

1. Quinque autem de hoc templo, seu de hac templi aedificatione tradit Apostolus, primò, quae sit materia, ex qua construitur: homines electi, lapides viui. *Superstructi* (scilicet vos Ephesij) Nam de ijs ver. 22. *In quo & vos coaedificamini, &c.* Quales autem lapides sint, qui superstruuntur, docetur I. Petr. 2. 4. *Ad quem accedentes lapidem viuum, & vos tanquam lapides viui superadisicamini.*

In Apocalypsi, lapides preciosi vocantur.

Illud, *Superstructi*, significat vnitos conglutinatosque esse cum Christo. Alibi, cùm alijs vtitur metaphoris, vocat insitionem, vt Roman. 11. Ramorum oleastri in bonam oliuam.

Alibi vocatur incorporatio, adglutinatio, vnio duorum in vnam carnem. Ad summam, nihil aliud his locutionibus significatur, quàm illa κοινωμία cum Christo, de qua iIohan. 1.

Hinc colligimus, Ecclesiam non constare nisi ex electis lapidibus, Christo per Spiritum sanctum ac fidem insitis.

2. *Secundo*, docet quodnam sit huius templi fundamentum, dicendo: *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Si quis intelligat ipsas Apostolorum & Prophetarum personas, nimis foedè hallucinabitur: cùm & ipsi superstructi fuerint super idem fundamentum: vnumque & idem semper fuerit à condito orbe, fundamentum Ecclesiae.

Proinde turpiter errare conuincuntur illi, qui ideo volunt Petrum esse fundamentum Ecclesiae, quia Christus dixit, Tu es Petrus & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam [Matt. 16.]: refellente [page 154] eos vel ipso Christo, qui discrimen fecit inter Petrum, & petram, super quam, &c. Et Ambrosio in hunc Apostoli locum, vbi exponens illud Christi ex Matth. 16. ait, *Super istam petram, id est, in hac Catholicae fidei confessione statuo fideles ad vitam*. Haec ille. Alij igitur sunt qui nomine fundamenti Apostolorum & Prophetarum, intelligunt doctrinam Propheticam & Apostolicam: Et sic Ambrosius ait, *Super fundamentum, &c.* hoc est, super vetus & nouum Testamentum collocati.

Interpretatio haec nihil habet absurdi, si rectè intelligatur, nempe non de omni parte doctrinae Propheticae & Apostolicae, sed de illa, qua promittebatur Christus, per Prophetas, & qua per Apostolos praedicatur, quae doctrina propriè Euangelium vocatur, & si doctrina accipiat pro re contenta in doctrina, id est, pro Christo. Neque enim Ecclesia fundata est super comminationes Propheticas, aut super legem, quam vrgebant & explicabant, neque (vt summatim dicam) super ipsorum verba, sed super Christum, quem illi promiserunt, & Apostoli annunciarunt: Et sic I. Corinth. 3. Apostolus sui est interpres, dicendo: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Iesus. Christus*. Cùm igitur ait, super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, intelligit fundamentum, quod Apostoli & Prophetae iecerunt: id est, super Christum à Prophetis & Apostolis pro vnico seruatore, & totius Ecclesiae capite, vero Deo, vero homine, vnico mediatore, nostra iustitia & sanctificatione praedicatum.

1. Hic primò obseruanda est haec particula, *Fundamentum Prophetarum & Apostolorum*: quia non quiuus Christus est fundamentum Ecclesiae, sed ille tantùm quem praedicaunt Apostoli: Et talis per omnia, qualem illi praedicaunt. Arianorum igitur Ecclesiae non sunt fundatae in hoc fundamento Apostolorum & Prophetarum, quia non habent verum Christum, quem Prophetae Iehouam, & Apostoli verum Deum, Deumque super omnia, crediderunt, confessi sunt, & praedicaunt. Neque Valentiniani, neque Marcionitae, nec Apollinaristae, & alij: qui aut negarunt verum esse hominem, aut corpus illi affinxerunt coeleste, aut anima humana cum spoliarunt, aut voluntatem humanam illi detraxerunt, aut corpus illi dederunt immensum omniaque replens, & inuisibile.

Neque etiam illi verum habent Christum, verumque fundamentum Apostolorum & Prophetarum, qui talem Christum praedicant, qui non sit perfectissima nostra iustitia, sanctificatio, redentio, cuius solius sanguine nolunt peccata ita esse expiata, vt quicumque Christo per fidem insiti sunt, remissionem habeant peccatorum omnium. Talem enim CHRISTVM non praedicarunt Apostoli.

Meritò itaque Apostolus Christum appellauit fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, vnicum fundamentum Ecclesiae, quod Apostoli & Prophetae semper iecerunt, & praedicarunt: & quidem talem Christum, qualem ipsi descripserunt, & non alium.

2. Secundò obseruandum: Si autem Christus fundamentum est Ecclesiae: illam igitur sustinet, & sustinebit in sempiternum: nec illam corruere penitus & euerti sinet: quare certissima est salus eorum, qui Christo sunt supraedificati.

III. *Terito*: describit Apostolus, quinam sint huius templi aedificatores, & architecti Apostoli nimirum, & Prophetae, adeoque omnes veri Apostolorum successores, qui idem Euangelium, eandemque doctrinam afferunt, qualem & Apostoli: Apostolo ipso interprete, qui se vocat Architectum, à quo positum sit bonum fundamentum [1. Cor. 3.]: Et ministros verbi, qui consentanea cum Christo praedicant, ait illos super hoc fundamentum supraedificare aurum, argentum, lapides pretiosos.

Docet igitur omnes legitimos ministros verum Euangelium praedicantes, eoque populos ad Christum colligentes, esse aedificatores, suo ministerio. Sic etiam Ieremiae, dixit Deus, se illum mittere, vt euellat & destituat, templa scilicet Diaboli [Ier. 12?]: & plantet atque aedificet, templum scilicet Domini.

[Exceptio. Christus aedificat.] At Christus docuit se esse hunc templi aedificatorem, cùm dixit Matt. 16. *Et super hanc petram ego aedificabo Ecclesiam meam*. Resp. Reuera Christus ille ipse est, qui super se electos aedificat per suum Spiritum, id quod apertè docet Apostolus ver. 22. dicendo: *In quo & vos aedificamini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto*: Sed ad hanc aedificationem vsus est opera Apostolorum, ac Prophetarum, ac quotidie

vtitur opera ministrorum Euangelij: quemadmodum supra quoque diximus. de ministris Euangelium annunciantibus. Proinde Paulus vbi se vocauit Architectum, qui bonum posuerit fundamentum, ibidem etiam dixit se & alios Apostolos, nihil esse, nisi ministros Christi, per quos crediderint Corinthij [1. Cor. 3.]. Ita soli Christo debemus, quòd simus illi insiti, & superaedificati, Apostolos autem, debemus pro ministris Christi agnoscere, & honorare.

IV. *Quartò*, indicauit etiam Apostolus, quibusnam instrumentis isti Architecti aedificent templum Dei: ministri quidem Christi, id est, homines, doctrina vtuntur sibi à Christo tradita, doctrina scilicet Euangelij. & Sacramentis, quibus obsignantur promissiones Euangelicae. Sic enim Christus dixit, cùm misit Apostolos ad colligendos lapides inter Gentes ex quibus templum aedificaretur, *Praedicate Euangelium, baptizantes eos*. Matt. 28.

[page 155] Sed Christus primarius Architectus, vtitur suo praeterea Spiritu, quo efficaciter operatur, & sibi ipse electos lapides inserit, atque superstruit: Ideo Apostolus ad finem ait, *In quo & vos coaedificamini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto*.

Caeterùm ministri praeter verbum & Sacramentum, quibus addunt preces, & exempla sanctae vitae, nihil habent praeterea, quo templum aedificent. Atque haec est illa autoritas, quam Apostolus dixit ad Corint. sibi datam esse non ad destructionem, sed ad aedificationem. 2. Cor. 13.

Medium hoc & instrumentum docuit Apostolus, cùm dixit: *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*: id est, quod Apostoli & Prophetae, sua praedicatione, priori loco iecerunt, & populis, vt huic sinerent se superaedificari proposuerunt. Vbi primò obseruanda est consensio Prophetarum & Apostolorum in doctrina salutis, & in fundamento iaciendo, cui Ecclesia superaedificaretur: summa erat illa, quam tradiderunt Apostoli in Actis, dicendo: *Huic testimonium perhibent omnes Prophetae, remissionem accipere omnes, qui credunt in cum* [Act. 10.]. Videmus hoc inprimis fuisse seruatum à Christo & Apostolis, vt quicquid tradebant populis doctrinae, totum illud confirmarent testimonijs Prophetarum: inter quos certè primum locum tenuit Moses. Quorsum Apostoli citabant Prophetas? Vt patefieret mundo, nil noui adferri, Sed veterem doctrinam: & vnam eandemque esse rationem salutis iam, quae & ab initio fuit mundi: nempe per fidem in Iesum

Christum, non autem per opera legis, quae longo post tempore à vocato Abrahamo, nedum à condito orbe, lata fuit: quin & ipsa lex non aliò spectabat, quàm in Christum: Rom. 10. *Finis legis est Christus*. Itaque in doctrina salutis summa semper fuit & est consensio inter Prophetas, & Apostolos, eoque & inter Mosen & Euangelium Pauli quod Gentibus praedicabat. Pertinet haec particula ad Scopum Apostoli in hac Epistola: ne sinant se abduci Ephesij à doctrina Apostolorum, quasi pugnet cum Mose: quando ad summam salutis quod attinet, summa est consensio inter Prophetas, eoque & Mosen, & inter Apostolos, nec aliud vnquam illi, quàm quod & isti posuerunt fundamentum, Iesum Christum. Consideratio diligensque examinatio huius consensionis & Harmoniæ in doctrina Prophetica & Apostolica, dicinon potest, quantopere fidem in Christum confirmet, eoque salutem nostram promoueat. 2. *Secundo* obseruandum: si verò instrumentum, quo per homines aedificatur Ecclesia, est doctrina Prophetica & Apostolica: quicquid igitur ab hac diuersum est, illo non aedificatur, sed destruitur & euertitur Ecclesia

Caeterùm quia doctrina Euangelij proponitur, vt credamus, & credentes, Christo inseramur per fidem: Idcirco Apostolus, dicendo nos superaedificari fundamento Apostolorum & Prophetarum, non solùm docet, quo instrumento aedificent ministri, nempe praedicatione Euangelij, verùm etiam quo caemento adglutinemur nos fundamento Christo: nempe fide. *Euangelium enim est in salutem, non cuius, sed omni credenti* [Rom. 1.]: Et omnes scripturae docent, nos vniri Christo per fidem, perque fidem illum habitare in cordibus nostris. Ephes. 3.

Neque mihi dubium est, quin hoc voluerit Apostolus concludere, si salus nostra consistit in eo, vt vniamur adglutinemurque fundamento, id est, Iesu Christo, quem praedicarunt Apostoli & Prophetæ, vnio autem sit, si credimus doctrinae Propheticae & Apostolicae: ad salutem igitur necessaria non sunt opera legis: de consensu quoque ipsius Mosis, inter Prophetas omnes, facile principis.

V. *Quintò*: Ad extremum docet in hoc 20. versu, quisnam etiam angularis lapis sit in hac templi structura, in quo diuersi parietes coniunguntur in vnum: nam talis lapis pernecessarius est, vt omnes norunt Architecti, nempe in domo lapidea extruenda. Docet esse eundem, qui & in fundamento positus est, vt

totum sustentet aedificium: nempe Christum. Ad Iesaiam enim alluisse Apostolum, dubium non est, cùm dixit, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Talem igitur lapidem voluit ipse quoque Apostolus nobis ob oculos proponi, lapidem inquam tam magnum, & ita fabricatum, atque paratum, vt & totius domus omni ex parte sit fundamentum, & ab omni etiam extrema parte recta ascendat ad summitatem vsque domus, vt angularis lapis, quo diuersi parietes simul copulentur, eoque tota domus simul contineatur & conseruetur. Voluit enim concludere eundem Christum illum esse, qui totam Ecclesiam sustineat vt fundamentum, atque etiam simul contineat tanquam lapis angularis; eoque Christum initium esse simul & finem consummationemque salutis nostrae: quemadmodum & ad Hebr. scribitur, cap. 12. Christum Iesum, autorem esse fidei & consummatorem.

[Ver. 21.] *In quo omnis aedificatio (πᾶσα ἡ οἰκοδομὴ) congruenter coagmentata, crescit in templum sanctum in Domino.*

Ὀικοδομὴν accipi pro re aedificata, non autem pro actione aedificandi, extra controuersiam est: *Primò*, quia ait esse eam congruenter coagmentatam: non coagmentatur autem actio aedificandi, sed res quae aedificantur & in aedificium ponuntur. *Secundò*, quia ait hanc οἰκοδομὴν crescere in templum; actio autem aedificandi non crescit indomum, vel in templum. *Tertiò*, quia Apostolus apertè Corinthios [page 156] ipsos Christo insitos, vocat aedificationem Dei: *Dei aedificatio estis*, inquit [1. Cor. 3.].

Caeterùm illud πᾶσα οἰκοδομὴ, bifariam accipi potest: Vel pro toto aedificio, & sic ferè vertunt omnes, in quo totum aedificium: vel pro quouis lapide qui superstruitur, seu pro quauis parte aedificij: vt sit sensus, quicquid super hoc fundamento extruitur, illud etiam congruenter coagmentatum crescit in templum. Atque haec mihi magis placet. Sensus enim Apostoli est, quicquid superstruitur fundamento Christo, illique sicut congruit, coagmentatur: illud & vitam & incrementum accipere à fundamento Christo: idque in hunc finem, vt fiat templum Domini, in quo Deus regnet.

Ad rem ipsam quòd attinet, Dixi hîc describi, qualis sit Ecclesia, vt Ephesij melius intelligerent, quàm magnum sit beneficium, quod consecuti sunt,

quando per fidem in Christum, fuerunt coagmentati, & simul cum tota Ecclesia sanctorum consecuti in Christo capite angulari.

Quatuor autem Ecclesiae qualitates seu proprietates describit hoc 21. versu:

1. *Primò*, quòd totum aedificium, atque adeò singulae partes, congruentissimè sint coagmentatae, tum cum fundamento, tum inter sese.

2. *Secundò*, quòd fundamentum sit viuum ac viuificans: lapides autem viui & viuificati à fundamento: quòd alioqui si carerent vita, non possent accipere incrementum hi lapides.

3. *Tertiò*, quòd singulae partes accipiant incrementum: ac proinde quòd aedificium totum crescat, non solùm accessione nouorum lapidum, sed inprimis incremento singulorum lapidum: idque tantisper, dum totum compleatur, & perficiatur templum.

4. *Quartò*: Quòd templum hoc sit sanctum, soli Deo consecratum, purum & mundum.

Restat vt nunc de ijs quatuor qualitatibus aliquid è sacris literis demonstremus. Ac 1. *Primum* de congruenti coagmentatione. Notandum igitur, hanc consistere tum in vera ac decente vnione cum fundamento, id est, cum Christo: tum in coniunctione cum partibus singulis: ita vt nihil obliquum, nihil distortum, nihil indecens appareat in hoc aedificio: sed omnia suum sibi suoque officio conuenientem habeant locum: sicut videmus in aedificijs iuxta veram artem architecturae fabricatis. Fenestrae, scalae, gradus, contignationes, tecta, omnes denique domus partes ita solent esse congruenter dispositae: vt vna respondeat & inseruiat alteri: & omnes simul fundamento.

2. *Secundò* dicendum est de vita cuiusque partis, & singulorum lapidum in extruptione templi, collocatorum.

Diximus alteram templi, id est, Ecclesiae, & cuiusque lapidis fundamento superstructi conditionem proprietatemque esse, vt spiritualiter viuat, vita ex fundamento hausta. id quod ijs rationibus confirmatur.

1. Cùm enim dicat Apostolus, totum aedificium hoc, eoque singulas eius partes crescere in templum; incrementum autem hoc fieri nequeat, nisi singulę partes sint viuentes, quando non tantùm crescit aedificium accessione nouorum lapidum, sed singulae etiam partes, singulique lapides in eo collocati augentur fide & pietate: consequitur necessariò, & totum aedificium, & singulas eius partes, vita praeditas esse. Vitam autem ex se non habent, sed ex fundamento: quemadmodum & rami arboris non ex se viuunt, sed ex radice: Et palmites, ex vite. 2. Hinc sequitur ratio, Christus siue lapis sit fundamentalis, in aedificio, siue radix in arbore, siue vitiis in vinea, siue caput in corpore, semper est non solùm viuens, sed etiam vita viuificans. Res igitur sibi insitas & incorporatas, viuificet, oportet. Ac proinde omnes lapides templi viui sint, necesse est.

3. Hoc verò expressis verbis declarauit Petrus, cùm dixit, *Ad quem accedentes lapidem vinum, & vos tanquam lapides viui aedificemini domus spiritualis, ad offerendas hostias* [1. Pet. 2.].

Lapides autem istos vitam habere non ex se, sed eam ex fundamentali angularique lapide haurire, inde manifestum est, quia neque palmes habet à se vitam, sed à vite, neque ramus ex se viuunt, sed ex arbore arborisque radice, neque membra corporis aliunde habent vitam, quam à corde & capite: eadem autem insitio in Christum significatur hoc praesenti simili templi, & lapidum, eidem fundamento superstructorum, quae etiam similibus illis, corporis & capitis, palmitum & vitis, ramorum & arboris, significata est saepe in sacris literis.

4. Pertinet huc quòd ait ipse Christus, *Sicut qui misit me, est viuens Pater, sic ego vino per Patrem: Et qui manducat me, ipse viuunt propter me* [Ioha. 6. 57.] Sic enim locum illum legendum & construendum esse iudico. Docet enim Christus, vitam nostram pendere à se, & per esum carnis suae nobis communicari: vitam autem suam esse à Patre, nempe per aeternam (quatenus aeternus filius & λόγος) generationem: Patrem autem à nemine habere vitam, sicut neque essentiam, sed per se ex se viuentem esse. Ergo post καθὼς, *sicut*, subintelligendum est relatiuum *Qui*, & ita legendum, *Sicut qui misit me, viuens Pater*, nempe est: *Et qui edit me, viuunt propter me*. Ratio est, quia Christus vita aeterna habitat verè in cordibus nostris per fidem.

Summa igitur est, Qui Christo insiti sunt, siue vt palmites viti, siue vt rami arbori, siue vt membra capiti, siue vt lapides fundamento, hos omnes viuere, nempe spiritualiter, vita ex ipso Christo hausta: *In ipso enim vita erat* (inquit Iohan [Iohan. 1.]) & semper fuit & est, qua nos viuimus. Et in Epistola ait, *Vita aeterna in Filio eius est: qui habet filium, habet vitam*: quis autem habet Filium? qui credit in Filium: per Fidem enim habitat in cordibus nostris. [page 157] Itaque necesse est, vt omnes fideles, vitam in se habeant, quia habent Christum in se manentem, viuentem, & viuificantem. Quę caussa est, cur Apostolus se viuere in fide filij Dei dixerit [Gal. 2.]: immò Christum potius in se viuere: cùm tamen illud etiam verum sit: noviuere in fide filij Dei: sed quò melius explicaret vnionem, quam habebat cum Christo, fontemque suae vitae indicaret non esse extra se, dixit, *Vino autem iam non ego, viuit verò in me Christus*.

Ita tenemus alteram verae Ecclesiae Christi & singularum partium eius proprietatem, quae est, quòd spiritualiter viuant. Quid autem sit hoc viuere, & vita, supra diximus in hoc capite. Summa est, illos viuere spiritualiter, qui ambulant secundùm spiritum, & non secundum carnem, operaque spiritus faciunt, & non carnis: Qui igitur viuunt secundum carnem, hos esse mortuos secundùm spirituum: sicut de vidua carnaliter viuite dixit Apostolus: *Vidua in deliciis viuens, mortua est* [1 Tim. 5.]. Ergo pro veris Ecclesiae membris agnoscendi non sunt, qui nefariam traducunt vitam sine vlla resipiscentia.

3. Sequitur tertia qualitas, nempe incrementum in pietate, fide ac charitate; ait Apostollus:

In quo (scilicet Christo fundamento Ecclesiae, & lapide angulari) *πᾶσα οἰκοδομὴ, congruenter coagmentata, crescit in templum sanctum in Domino.*

Vnde sequitur Primùm, Qui non sunt congruenter coagmentati in Christo, eos nec viuere, nec crescere in templum. Sicut contrà, Qui sunt congruenter coagmentati, ij crescunt.

Secundò, sequitur, hoc incrementum non fieri nisi in Domino, hoc est, quatenus in Christo manemus: & eius solius virtute fieri: non igitur proprijs viribus nostris.

Tertiò, sequitur, Si, qui sunt in Christo vera fide coagmentati, crescunt, nempe in fide, veraque pietate, idque tantisper dum totum perficiatur templum: non igitur deficiunt penitus à fide, & à Christo. Christus enim fundamentum eos sustinet, & vt lapis angularis in se continet, & vita viuificat. De qua perseuerantia, & incremento pòst dicemus. Nam etiam cap. 4. fusius hoc argumentum tractat Apostolus.

Pro hoc tempore, retinebimus conclusionem, Qui in Christo sunt vera fide coagmentati, tantùm abest, vt possint penitus deficere, vt potius incrementum faciant in pietate: Apostolo hoc manifestè asseuerante, & hic & alibi saepius.

Phil. 1. *Qui incepit in vobis bonum opus, is illud perficiet vsque in finem.* Et Christus ait, Matth. 7. *Qui audit sermones meos, & seruat eos: hic comparabitur viro, qui aedificauit domum supraepetram: flauerunt venti, irruerunt flumina, nec concidit. Fundata enim erat super firmam petram.*

Iohan. 4. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in aeternum: sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam.

IV. Quarta qualitas est, quòd templum hoc sit sanctum.

Sanctum duplicem habet significationem: priori sanctum dicitur, quod est Deo consecratum: posteriori, quod est mundum & purum.

Iuxta primam: Nos sumus Deo consecrati: ideo vocauerat nos templum Dei: Eoque non sumus nostri iuris.

Hinc duae sequelae; vna ad primam tabulam, altera ad secundam pertinens. *Prima* haec est: Ergo non debemus nos contaminare idololatrijs, & dijs alienis inseruire. 1. Corinth. 6. & 10. *Quae conuentio templo Dei cum idolis? &c.*

Altera est: Ergo non debemus contaminare corpora nostra lasciuijs, crapulis, &c. 1. Corinth. 6. *Vos estis templum Dei, quod si quis violauerit, perdet eum Deus.*

Rursus posterioris generis sanctitas duplex est: vna intra nos realiter existens: atque haec ipsa est regeneratio, cordis purificatio: quae expoliatione veteris, & inductione noui hominis constat.

Altera extra nos est: quae tum remissione peccatorum, quia nimirum nostra non imputantur nobis peccata: tum imputatione sanctitatis & iustitiae Christi constat.

Vtroque sanctitatis genere sancta est Ecclesia.

Ex his omnibus quaedam Ecclesiae descriptio colligi potest, quae haec est.

Ecclesia, est templum sanctum, ex varijs viujs lapidibus, super Christum, prout ab Apostolis & Prophetis, praedicatus fuit, tanquam super fundamentum, per praedicationem Euangelij Apostolici atque Prophetici, perque Spiritum sanctum collectis atque superstructis congruenter fabricatum: vt in eo Deus inhabitet, atque iuxta doctrinam Propheticam & Apostolicam in sempiternum colatur.

[page 158]

LOCI THEOLOGICI
EX SECVNDO CAPITE
AD EPHESIOS.

LOCVS PRIMVS DE PECCATO IN GENERE, EIVSQUEEFFECTIS, ET
CAVSSIS: Deque peculiari peccato, quod originis appellari solet.

Ἀμαρτία (de qua vers. 1.) nomini respondet Hebraico, חַטָּה: Est autem חַטָּה, aberrare à scopo, quem tibi praefixum assequi debeas. Iud. 26. 15. ἀμαρτία quoque Graecis est quasi, ἁμαρπτία, ab ἁ priuatina particula, & μάρπτειν, quod capere & assequi significat: Ac proinde definitur, quòd sit τοῦ ἀγαθοῦ ἀποτυχία. Ita vt & Cicero in paradoxis, peccare nil aliud esse definierit, quàm transilire lineas, nimirum intra quas continere te deberes. Nec non & alterum nomen (de quo codem vers.i.) παράπτωμα, eandem ferè habet significationem: cùm nihil aliud sit quàm offensa & lapsus, vltra rectam instituti regulam, vel ad dexteram, vel ad sinistram: quanquam παραπτώμα de

actuali tantum peccato, ἁμαρτία verò etiam de originali praedicatur, vt liquet Roman. 5.

2. Meritò igitur Iohan [1. Ioh. 3.]. in priore Epistola quodvis peccatum vocauit ἁμαρτίαν, & nomine ἁνομίας definiuit dicens: πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τὴν ἁνομίαν ποιεῖ: καὶ ἡ ἁμαρτία, ἐστὶν ἡ ἁνομία. Duo ad veram peccati cognitionem apprimè scitu necessaria, hac definitione tradens, vnum, quis sit esseque nobis debeat in nostris actionibus scopus, a quo declinandum omninò non sit, nimirum ὁ νόμος τοῦ θεοῦ: Deinde quid sit peccare, nempe ab hac lege aberrare, eiusque terminos transilire: ita vt quicquid ab hac lege dissentaneum est, cùm tamen deberet esse consentaneum, siue hoc sit substantia, siue qualitas ac facultas, siue actio, illud verissimè iniquum, atque adeo ἁνομία ipsa esse dicatur, & ἁμαρτία.

3. Peccatum itaque in genere sic describi posse iudicamus ex breui Diui Johannis definitione: Peccatum est iniquitas, qua tum ipsa natura ratione praedita, tum eius affectus & vires, tum & actiones tam internae, quam externae, à rectitudine legis diuinae, qua cum omninò consentaneae per omnia esse deberent, dissentaneae sunt, cumque illa pugnantes.

4. Etsi enim καταχρηστικῶς tum totus ipse homo corruptus, tum omnes ipsius actiones, cum lege Dei pugnantes, peccati nomine significari & appellari soleant, iuxta illam Augustini receptam definitionem, *Peccatum est dictum vel factum, vel cogitatum contra legem Dei*: propriè tamen ipsa substantia, vel natura, vel actio rationalis creaturae non est peccatum, sed infecta peccato: peccatum autem ἁνομία ipsa, id est, defectus, priuatioque debitae in ipsa actione vel substantia rationali, iuxta legem Dei, rectitudinis.

5. Proinde rectè Apostolus, non dixit peccatum esse rem iniquam aut actionem malam: Sed ἁνομίαν, id est, id quo natura vel actio iniqua fit, & dicitur: Vt omnino discernenda sit natura & actio, quae per se bonae sunt, & quarum autor est Deus, ab iniquitate, qua iniquae sunt & cuius autor Deus esse nequit.

6. Quemadmodum verò ex arbore mala non possunt boni fructus, sed tantum mali prodire: Sic ex peccato per se malo, non nisi ingentia mala proficisci possunt: quorum primum est spiritualis mors animae, qua fit, vt impij

destitutigratia Dei, praesentiaque Spiritus sancti, qui instar animae sese habet in piis hominibus, nihil eorum possint quae Dei sunt, & quae ad veram pertinent felicitatem aeternamque vitam, vel cognoscere, [page 159] vel velle, vel appetere, vel facere, sed in contraria semper ferantur, & in illis, nisi per Christum liberentur, contabescant atque putrescant: vers. 1. Alterum itaque malum est, quòd mortui Deo, viuimus Satanae, eiusque fimus mancipia, qui efficaciter operatur in omnibus filiis ἀπειθείας: vers. 2. Tertium malum est mors corporis, adeoque varia in hoc praesenti seculo, malorum, incommodorum, morborum, & flagellorum irae diuinae genera, quae homines suis peccatis sibi accersunt: *Reuelatur enim ira Dei de coelo in omnem impietatem*: Roman. 1. *Et stipendium peccati mors est*. Roman. 6. Quartum est mors & animae, & corporis simul sempiterna, quae in igne, locoque Diabolis destinato, aeternum cruciandi sunt impij, nisi hic resipiscentes conuertantur ad Christum, vnicum seruatorem.

7. Causae porrò peccati duplicis sunt generis, alia extra nos, & aliae intra nos. Extra nos, citra vllam controuersiam sunt, Primùm, Cacodaemones horumque princeps Satan suis venenatis afflatibus: Secundò, Homines huius seculi suis exemplis, verbis, blanditiis: vers. 2. Tertiò, quanquam ex accidenti, ipsa quoque obiecta in sensus incurrentia, & ad sui abusum, eoque ad peccatum suo modo allicientia: Et denique ipsae etiam leges, atque adeo lex Dei sancta & iusta, suis mandatis, quae humanis sensibus & rationi placent prohibendo, & quae displicent praecipiendo, eoque reuera non per se, sed per accidens, peccati causa quodam modo dici possunt, Roman. 7.

8. Exemplo autem primi peccati, quod ab Adamo & Eua admissum fuit, totum hoc mirificè confirmatur. Diabolus primus est, qui ad peccandum inducit: Deinde mulier, autor est viro, vt contra Dei mandatum, edat de fructu: Tertio, fructus arboris vetitus, in sensum incurrens, sua pulchritudine & suauitate ad sui esum, eoque ad peccatum pellexit homines: Quarto, a lege Dei, qua cauerat ne de illo fructu quispiam ederet, auspicatus est suam tentationem serpens malignus & callidus, & ex prohibitione magis ac magis Euam ad fructum illum concupiscendum, & tandem etiam edendum inflammauit, Vnde illud, *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata*.

Ergo etiam mandatum nonnihil ad peccatum, sed ex accidenti, & abusu diaboli, efficit. Certè vbi nulla est lex: ibi nulla potest esse transgressio.

9. Etsi verò nihil in mundo contingit vnquam, aut contingere potest, sine sapientissima, & iustissima Dei prouidentia: peccati tamen autor, caussaue dici verè non potest, quippe qui illud & odit, & vetat, & punit, vtpote quod cum summa ipsius bonitate ex diametro pugnat: dicente etiam Iohanne [1 Iohan. 2. 16]: *Concupiscentia* (quo nomine omnia peccata significantur) *non est ex Patre, sed ex mundo est*: Et Iacobo, *Nemo cùm tentatur, dicat se à Deo tentari: Deus enim sicut tentari malis non potest, sic etiam neminem (ad malum) tentat: sed vnusquisque tentatur à concupiscentia sua*. Iacob. 1.

10. Fons igitur veraque peccati caussa in nobis ipsis quaerenda est, non extra nos, quando ne diabolus quidem ipse vera peccati Ade caussa fuit, sed libera hominis voluntas: quam mox consecuta est Naturae corruptio, & concupiscentia morbus, quae & poena peccati fuit, & peccatum, & caussa aliorum peccatorum, in nos quoque transfusa.

11. Prima itaque in nobis, omnibusque Adae posteris, peccati caussa interior, eoque vera caussa est ipsa naturae corruptio, quae & concupiscentia ab Apostolis appellari solet: de qua Apostolus ad Roman. atque etiam hic vers. 3. *Versati sumus in concupiscentia carnis nostrae, facientes voluntates carnis & cogitationum*: Iacobus verò, quomodo ab hac omnia nostra peccata concipiantur & oriantur, progrediantur & perficiantur, explicat, dicens: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*: abstractus ab incommutabili bono, quod est Deus: Et illectus, oblectatione falsorum bonorum & voluptatum hic est ortus peccati in nobis ipsis. subdit progressum, dicens: *Concupiscentia verò cum conceperit, parit peccatum*. Concipit autem & parit peccatum, cùm accedit consensus voluntatis. Subdit consummationem, & exitum, atque fructum, dicens: *Peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem*. Consummatur, operis complemento. Etsi vero, etiam cùm accedit consensus, generet mortem, vt Matth. 5. docet Christus, & Lex ipsa Dei: Ideò tamen Apostolus tum demum peccatum generare mortem dixit, cùm opere perficitur, quia de cursu ordinario peccati, omnibusque noto exitu loquitur: interim non negans, quod lex tradidit, & Christus.

12. Altera itaque interior peccati caussa, eaque efficax, est ipse consensus voluntatis: haec enim efficit, vt quis ambulet in peccatis & offensis, faciatque

voluntates carnis et cogitationum. ver2. & 3. Consensionem autem, qua quis verè dicitur obedire peccato in cupiditatibus eius, voluntariè peccare, & ambulare in peccatis, vocamus non quamlibet voluntatis motionem, nutationem, acclinationem, qualis est in dormituriante, capitis nutatio: Sed eam, qua plenè et absolutè animus tanquam verè vigilans, et apud se manens assentitur peccato nos tentanti, et ad varias iniquitates nos suis illecebris pellicienti, ita vt iam nihil aliud quaeramus quàm occasiones, quibus perficere opere etiam ipso possimus, quod animo concepimus, amplexique sumus.

Confirmatio sententiae.

13. Saepenumero enim tentationes ita sunt vehementes, [page 160] vt voluntas (sicut accidit sanctis hominibus) percellatur, & quasi inclinet in obedientiam peccati: cùm tamen non verè consentiat, sed mox resiliat, & repugnet: quemadmodum Apostolus Roman. 7. describit in sua persona, dicens: *Quod nolo malum, hoc ago*: quasi dicat, nolo, & volo, ago & non ago, vt pugna quadam sit carnis & Spiritus in ipsa etiam pij hominis voluntate: quando ipsa quoque in sanctis voluntas, partim caro est, & partim spiritus, cum partim etiam sit renata, & partim non renata. Non igitur quaevis voluntatis in peccatum inclinatio, & momentanea quasi consensio, est illa peccati caussa, qua quis verè dici possit obedire peccato in concupiscentiis eius, facerene voluntates carnis & cogitationum: Sed illa demum consensio, quae verè & plenè in peccatum quis consentit, & in illud iam perficiendum incumbit.

[3.] 14. Tertia peccati caussa intra nos existens, est ignorantia, qua voluntas saepè decipitur: ita vt eligamus quae putabamus esse bona, alioqui non electuri, si verè ea nouissemus esse mala: de qua & Apostolus, *Ignorans feci in incredulitate* [1. Tim. 1.]. Sunt enim omnes homines ita natura comparati etiam post naturae corruptionem, vt malum quatenus malum est, amare aut velle nemo possit: Et contra bonum, quatenus bonum est, nemo possit non velle, atque amplecti. Peccare autem est, aut reprobare bonum, aut eligere malum. Ergo quod quis peccet, hoc ideò sit, quia aliquo modo ignorat, id esse malum, quod agit, & bonum quod negligit: idque aut generatim & in Thesi, aut speciatim, & in hypothesi.

Confirmatio eiusdem doctrinae.

15. Ad res enim benè gerendas, & ad omnes actiones nostras, duplici opus est cognitione, atque scientia: generali vna, particulari altera, seu theseos & hypotheseos: quarum priorem praebebat lex Dei, atque naturae, posteriorem attenta praesentis rei, seu negotij quod proponitur, gignit consideratio. Alterutra si desit, peccatum inde consequatur, oportet: nempe quòd aut in genere, quid aequum sit vel iniquum, bonum vel malum ignores, vel si hoc nosti, quod tamen tibi faciendum proponitur, aut minimè consideras, sit ne verè bonum vel malum, aut non quantum opus est, satis attente, sed frigide & perfunctorie consideras: id quod ignorationis species quadam est, & non minus peccatum, quam caussa peccati.

16. Tres porrò etiam sunt species ignorantiae, quae voluntas & lex Dei in ipsa quoque thesi ignorari potest: quae tamen omnes & peccata sunt, & peccatorum caussae: Vna eorum est, qui ideo non nouerunt voluntatem Domini, quid malum & quid bonum sit, quia cognoscere noluerunt: de quibus Iob. 21[14]. *Et dicunt Deo, Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus:* & in Psalm. *Noluit intelligere, vt benè ageret:* Altera est eorum qui non nouerunt, quia neque nosse potuerunt, vt multae gentes, de quibus tamen (interprete Augustino) ait Dauid, *Effunde iram tuam o Domine in gentes, quae te non nouerunt:* Tertia eorum est, qui norunt quidem habitu, sed actu ignorant, quia non considerant, vel si considerant, non quemadmodum opus est, attente considerant, quid velit Dominus: quemadmodum & de ignorantia in hypothesi dictum est.

17. Neque verò omnis ignorantia excusat quasi inuoluntaria, cùm earum rerum est, quas ex officio nosse teneris, Trifariam verò voluntaria esse possit: vnde fit vt omne etiam peccatum quod ex illa proficiscitur, voluntarium sit dicique debeat: Primùm eorum ignorantia voluntaria est, qui cùm possint, nolunt tamen scire, quia nolunt benefacere: de quibus ante ex Iobo & ex Psalmo dictum est: quam ideo etiam affectatam ignorantiam appellare solent. Quis horum peccata inuoluntaria esse dicat? Altera illis attribuitur, qui non detrectant quidem vt priores, interim tamen negligunt, quaenam sit Domini voluntas, audire & intelligere: quo fit, vt ignorantia negligentiae à nonnullis nominetur. Quid est autem negligere aliquid scire, quam nolle scire? Peccata igitur ex hac etiam profecta, voluntaria sint, necesse est: & quidem non ex

accidenti, sed per se voluntaria. Tertia ignorantiae species, non ita quidem propriè, sicut reliquae duae priores, sed ex accidenti tamen voluntaria esse dicitur: Quatenus licet non ex voluntate tua immediatè proficiscatur, voluntatem tamen necessario consequitur tuam: nempe si ea voluisti, et voluntarie fecisti, propter quae porrò non potuisti, quae ex officio debebas, audire, cognoscere, aut cogitare: quemadmodum verbi causa voluntariam ebrietatem sequitur amentia, qua fit, vt siue aliquem occidas, siue blasphemes Deum, aut aliud facinus admittas, quid agas non intelligas, intelligereue possis: haec quoque ignorantia quodam modo voluntaria est, nec excusari potest: vt meritò Aristoteles monuerit, et in Ethicis scripserit, Ebrium qui ex ebrietate aliquod facinus admisit, duplici poena esse plectendum, vna quia ebrius fuit, altera quia ex hac ebrietate flagitium perpetravit. quo et illud pertinet, Ethic libr. 3. cap. 1. Omnis ignorans malus. Ac de tertia interna peccati causa, nempè de ignorantia, huc usque.

[4.] 18. Quarta peccati causa intra nos existens, infirmitas est animi, fideique imbecillitas: qua fit vt vehementibus Satanae et carnis tentationibus, non semper valeamus resistere, sed licet videamus meliora, probemusque, interim tamen victi, deteriora sequamur: quemadmodum contigii Petro, cùm Christum negauit, et Daudi, cùm [page 161] adulterium admisit, aliaque nonnulla scelera, quae tamen excusari non potuerunt, quin fuerint & voluntaria & grauissima crimina. Sicut enim non pugnant, peccare ex ignorantia, & tamen peccare voluntariè, vt supra declaratum est: Sic neque ista sunt contraria, peccare ex infirmitate, & peccare ex libera voluntate, quando voluntas ea propriè est, quae peccat: sed aliquando propter naturalem ignorantiam seducta, nonnunquam propter imbecillitatem, a passionibus peccatorum (vt loquitur Apostolus, victa ac superata. Ex quo etiam fit, vt longè grauiora sint peccata, quae procul omni ignorantia & infirmitate, ex destinata malitia admittuntur: quam ea in quae aut caci, aut imbecilli prolabimur.

[5.] 19. Quinta itaque causa, est ipsa planè voluntaria, destinataque malitia: nimirum cum quis neque ignorantia mentis simpliciter seductus, neque ab vlla sensuum & affectuum passione superatus, sed à naturali & propria sua voluntatis malitia adductus, verè sciens ac prudens peccat: quale fuit peccatum Diaboli, de quo Ioha. *Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat* [1. Ioh. 3.], nempe hoc modo, non ex ignorantia, nec

ex infirmitate, sed ex destinata malitia. Vnde etiam intelligitur, quid sit facere peccatum: nempe non simpliciter peccare, sed ex destinata malitia peccare studioque peccandi teneri, & affici.

20. Sicut enim in rebus physicis, bifariam aliquid potest in aliquam rem moueri & inclinari, nempe aut à principio externo, quasi vim quandam ab illo patiens, vt lapis vi sursum proiectus, aut ab intrinseco & per suam formam, vt lapis deorsum spontè cadens: Sic etiam voluntas ad peccandum mouetur, aut à passione aliqua aliena, quae scilicet viget in ipsis sensibus atque affectibus (id quod ex infirmitate peccare dicitur) aut à malitia sua propria, qua per sese mala, speciem tamen aliquam boni prae se ferente, oblectatur: Hoc verò tandem ex destinata malitia peccare vocari solet: Id quod deprauatae voluntatis proprium est, de quae Ierem. *Prauum est cor hominis, & quis cognoscit illud?* [Ierem. 17.]

21. Nam tota natura, anima & corpore, corrupta est, & vnaquaeque pars suam propriam habet corruptionem: caecitatem & ignorantiam Dei, intellectus: impetus ad voluptatem, & πρὸς τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν (vt loquitur Apostolus) [Rom. 2.] propriè ipsi sensus & affectus habent: malitia verò, propria est voluntatis, quae per sese ad malum inclinat semper, nisi per Spiritum sanctum regeneretur. Cùm igitur voluntas neque ignorantia mentis decepta, neque a passionibus victa, peccat, ex propria & destinata malitia peccare, malumque eligere dicenda est: qualiter Aristoteli peccare illi dicuntur, qui ex habitu peccant.

[6.] 22. Hinc perspicua sit sexta peccati caussaea est habitus in peccato, naturae malae additus, & ex multis malis actionibus comparatus. Ipsa enim consuetudo vertitur in naturam: & ab assuetis non fit passio, nihilque est facilius, quam ex habitu operari, tam in virtutibus, quam in vitiis. Habitus igitur peccandi, non postrema causa est peccatorum.

23. Cum verò habitus sint voluntaris, quia ex voluntariis actionibus comparati: peccata etiam quae & ex illis sunt, voluntaria sint, oportet: Etiam si quis dum peccat ex habitu, nihil minus quam de eo, in quo peccat, cogitare videatur, seque mali aliquid facere minimè existimet. Immo hinc sequitur, huiuscemodi peccata, eò grauiora esse reliquis, & minus curabilia: quo minus de illis cogitamus, indicamusue ea esse peccata: quemadmodum in iis, qui ex

habitu inebriantur, aut Deum blasphemant, aut proximum in mercibus defraudant, & impudenter mentiuntur, manifestum est: quo in statu fuerant etiam Ephesij ante conuersionem, sicut Apostolus indicat, dicens:

Ambulabatis in peccatis secundum seculum mundi huius: id est, sicuti ambulare solebatis, nihil minus quàm quòd peccaretis, cogitantes, aut etiam indicantes, huiuscemodi enim flagitiosi homines eò tandem adducuntur, vt non solùm de hypothesi, id est, de actione ipsa nihil mali cogitent; Sed ne ipsam quidem thesin, puta ebrietas peccatum est, veram esse credunt & iudicant: Sed malum dicunt bonum, & bonum malum, lucem tenebras, & tenebras lucem, vt ait Iesias, c. 5.

[7.] 24. Septima peccati caussa in nobis haerens, est peccatum, non solùm Originale, id est, concupiscentia, de qua suprà dictum est, sed etiam actuale: quatenus peccatum vnum caussa est alierius peccati, iuxta illud, Qui fecit peccata, seruus est peccati: Iohan. 8.

25. Quinque autem modis contingit, vt peccatum alterius peccati caussa fiat: *Primùm*, quatenus peccato vno admissio, amittitur gratia, praesentiaque Spiritus sancti: qua amissa nil aliud potest homo, quam in alia prolabi scelera: ita peccatum peccato nequitur, sublata ea re, quae à peccando arcebat: quemadmodum & mulier, amisso pudoris, per primam scortationem, freno, facile deinceps scortari pergit. *Secundò*, peccatum vnum caussa sit alterius, quatenus Deus solitus est punire peccata peccatis tradito illo qui peccauit in manum Satanae, qui porrò efficaciter in illo operatur: Ephes. 2. vers. 2. Et Roman. 1. ver. 24. 2. Thessal. 2. vers. 11. *Tertiò*, idem fit, quatenus ex vno peccato facilis fit in similia lapsus, & tandem ex multis porrò ingeminatis actionibus, habitus comparatur peccandi: quo nihil perniciosius contingere potest. *Quartò*, contingit idem malum, quatenus vnum peccatum sine multis aliis perpetrari non potest, & primum multa insequentia secum trahit: quo sensu dixit Apostolus, φιλαργυρίαν, id est, amorem studiumque pecuniae, [page 162] sen Auaritiam, radicem esse omnium malorum. Huic enim vitio indulgeri non potest, sine fraudibus, dolis, mendaciis, periuriis, aliisque sceleribus: Ideo Apostolus loco iam ex Timoth. 6. citato, explicans, quomodo φιλαργυρία caussa sit omnium malorum, dixit, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & cupiditates multas amentes & damnosas, quae demergunt homines in interituum: Si quidem radix omnium malorum est φιλαργυρία: quam quidam dum appetunt, aberrarunt à*

fide, & seipsos transfixerunt doloribus multis. De Ebrietate idem docuit Apostolus, dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est Luxuria* [Eph. 5.]. Quintò, Denique vnum caussa est alterius, quatenus saepè propter vnum, alterum etiam admittitur: vt Iudas propter amorem pecuniae prodidit Christum, & Balam maledicit populo: Et Pilatus propter ambitionem, damnauit Christum. Peccata igitur illa, quae tanquam fines ad alia admittenda promouent, caussae aliorum peccatorum, meritò esse dicuntur.

Hactenus de peccato in genere, quid sit, quae eius effecta, quae caussae tum externa, tum internae: nunc post allatam partitionem peccati de Originali dicendum est. Ergo haec esto thesis.

26. Secatur peccatum in Originale & actuale: Originale vocant peccatum illud, quod à primo omnium hominum secundum carnem parente Adamo ortum habens, in omnes, qui ex illo per communem nascuntur propagationem, deriuatur: Actuale verò, quod quisque per sese, actu admittit: Ac sicut in vno omnes dicimur. concepti, & nati, ita alterum quisque ex se concipit, parit, perficit: Et sicut vnus respectu dicimur omnes natura esse filij irae, vers. 3. Sic alterius caussa impij omnes dicuntur ambulare in peccatis, & in concupiscentiis carnis, facereque voluntates carnis & cogitationem. vers. 2. & 3. & tandem filij contumaciae fiunt & vocantur, vers. 3.

27. Nomine autem peccati Originalis, quod per vnum hominem in mundum transiit, quid intelligendum sit, manifestè docet Apostolus, Roman. 5. à versu 12. ad finem vsque capitis: nimirum non solùm ipsa originalis iustitiae, quae deberet in nobis esse, priuatio, totiusque naturae, illam priuationem subsecuta, corruptio, quam & concupiscentiam vocat Apostolus, & peccatum, verùm etiam, idque inprimis, ipsa prima Adae inobedientia: non simpliciter quidem, sed quatenus nobis omnibus imputatur, quemadmodum & obedientia Christi omnibus credentibus: Ac proinde quae licet non actu, reatu tamen in omnes homines pertransiit, qui ex semine Adae concepti, nascuntur: quando etiam omnes in eo peccasse ab Apostolo pronuntiantur, quippe qui in eius omnes lumbis eramus.

Confirmatio sententiae.

28. Neque enim aliud peccatum in posteros transfusum est: quam quod ipsius quoque fuit Adami. fuit autem inobedientia, cum priuatione iustitiae originalis, & totius natura corruptione. Deinde etiam non propter aliud peccatum, nos fuimus adiudicati morti, quàm propter illud, propter quod & Adamus: Eiusdem enim peccati stipendium fuit mors. Illi autem fuit dictum, *Morte morieris*, propter inobedientiam, &c. Sed neque quis vere dici potest, aut in sacris literis dicitur peccare, cùm tantùm nascitur in peccato, filius irae, & cum peccato: Omnes autem dicimur in Adamo peccasse. Ad haec, non ait Apostolus, propter, sed per inobedientiam Adami nos constitutos esse peccatores [Rom. 5.], Sicut etiam non tam propter, quam per obedientiam Christi, nos constitutos esse ait, factosque instos: Vt igitur obedientia Christi, nostra est iustitia: Sic etiam inobedientia Adae nostra est iniustitia, nimirum imputatione & reatu. Denique in quouis corpore, siue naturali, siue animali, siue politico & mystico, hoc apud omnes Gentes receptum est, vt quod facit caput, quatenus caput, illud toti corpori meritò imputetur. Ideo totus homo plectitur, propter peccatum, quod solo voluntatis imperio admittitur: Secundò, & liberi omnibus bonis paternis spoliantur, propter parentis rebellionem. Quemadmodum igitur, quod gessit Christus tanquam omnium Electorum & Ecclesiae caput, toti Ecclesiae imputatur, dicimurque in persona Christi legem seruasse, mortui esse, sepulti, resuscitati, sedereque in supercoelestibus: Sic etiam meritò, quod Adamus tanquam caput humani generis peccauit, illud nobis imputatur, & in eius persona nos peccasse pronuntiamur.

Confirmatio sententiae ex Patribus.

29. Neque ab hac sententia dissentiunt Patres, vetusque Ecclesia: Sed Augustinus omnium nomine confirmat:

Tom. 7. de peccatorum meritis, & remissione libr. 1.c.10. ait, ideo dici omnes homines in vno Adamo, & vno Adae peccato peccasse, quia omnes, ille vnus homo fuerunt.

Hypognosticon argumento, 2. ait, nos suscepisse Adae culpam, & damnationem.

Tom. 1. Retract. libr. 1. cap. 15. scribit, omnes reatu peccati Adae implicatos, & ob hoc poenae obnoxios teneri, peccatum autem Ada fuit inobedientia.

Tom. 2. Epistola 23. ad Bonifacium: loquens de infante *Traxit* (inquit) *ergo reatum, quia vnus erat cum illo, & in illo, à quo traxit: quando quod traxit admixtum est.* Clarissimè etiam Epistola 23. ad Bonifacium, concludit, nos omnes peccasse in Adamo voluntari: non voluntate quidem nostra propria, sed voluntate illius, [page 163] cum quo & in quo eramus vnus homo, eoque vna omnium voluntas.

Thomas Aquinas eandem secutus est doctrinam, & clarissimè explicat, cum alibi, tum in Quaestionibus disputatis, quaest. 4. de peccato Originali, articulo primo, Vbi concludit, de actuali inobedientia Adae, eam conuenire toti humano generi, & singulis hominibus, quatenus omnes fuimus vnum, & sumus cum Adamo. Quod enim ille admisit, non illud eum admisisse, vt priuatum hominem, sed vt totius humani generis caput: quemadmodum etiam iustitiam originalem non acceperat, vt priuatus homo, & sibi soli, sed vt pater omnium hominum, & nobis omnibus. Constat igitur nomine peccati Originalis venire non solum iustitiae originalis priuationem, naturaeque corruptionem, sed simul cum reatu & culpa nobedientiae Adami. Immo ideo cum primis peccatum Originale appellatur, quia omnes homines in Adamo tanquam in sua origine peccarunt: Sed interim non negatur altera ratio, nempe, quia quisque ex vitiosa origine in peccatis concipitur, nasciturque filius trae.

Eandem doctrinam confirmant etiam alij saniores Scholastici, vt iam de nostris nihil dicam. Etsi enim non omnes eodem planè modo definiunt peccatum Originale: nemo tamen inficiatur, quin reatu peccati Adae omnes impliciti nascentur, & per illius inobedientiam peccatores constituti sint: vt Apostolus docet, Romanorum 5.

Confirmatio superioris sententiae à verbo peccandi.

30. Sed neque à sacris literis alienum est, vt verbum *חָטָא*, peccauit, accipiat pro peccare, non actu, sed imputatione culpae, & reatu. Genes. 43. dixit Iehuda ad Israëlem patrem suum, *Mitte puerum Benjamin, & ego fide iubeo de eo: ex mea manu requirito eum, si non reduxero ad te: וְחַטָּאתוּ לִי* [then I shall bear the sin before you], & *peccabo tibi omnibus diebus*, id est, reus ero tibi huius peccati, & habear a te pro scelerato, si non reduxero. Sic Exod.

5[:16]. populi Israelis praefecti conqueruntur apud Regem, dicentes: *Cur sic facis seruis tuis? palea non datur seruis tuis, interim dicunt nobis, facite lateres: & ecce serui tui vapulant*, עמך וזמאן עמך [but it is the sin of your own people.], & *peccat populus tuus*, id est, reus peccati habetur, ac pro scelerato reputatur. Cum igitur Apostolus dicat, omnes in Adamo peccasse (illud enim ἐφ' ᾧ, est pro ἐν ᾧ, vt optime monet Beza) nihil a consuetudine sacrarum literarum receditur, quòd dicamus peccasse in eo omnes non actu, sed reatu, & culpae imputatione.

Priuationem iustitiae originalis & concupiscentiam esse peccatum.

31. Sed & ipsam originalis iustitiae, quae in nobis esse deberet, priuationem, peccatum esse, vereque peccatum, manifestum est: Primùm, quia omnis ἁνομία, peccatum est: destitutum, autem esse illa iustitia, qua te donauerat Deus [1. Ioha. 3.], & proinde qua deberes adhuc esse ornatus, iniquissimum est, & magna ἁνομία. Pugnat etiam cum lege Dei, non talem te esse, qualem esse iubet, nempe sanctum, dicente Domino, Sancti estote, quia & ego sanctus sum. Ἀνομία igitur est, eoque ἀμαρτία, non esse talem, qualem te creauit Deus in Adamo, & qualem te denuò esse mandat Deus sua lege. Itaque originalis iustitiae priuatio verè peccatum est & ἁνομία.

32. Hinc sequitur, ipsam etiam naturae corruptionem, quae illam priuationem iustitiae statim consecuta est, necessario verè peccatum esse, & ἁνομίαν. Primùm enim pugnat cum illa Dei voluntate, qua creauit hominem rectum, ac proinde qua rectum eum esse voluit. Deinde expresso Dei mandato prohibetur, cùm iubet nos circumcidere praepitium cordis nostri, & esse cordibus circumcisis, & munda habere corda, Deuter. 10. Item cùm ait, *Non concupisces*, quod mandatum non de actuali concupiscentia, sed de fonte omnis actualis concupiscentiae intelligendum esse docent & Christus & Apostolus. Christus, quia actualement concupiscentiam in singulis praeceptis legis prohiberi significauit, cùm de mandato, *Non fornicaberis*, dicit, illum qui tantùm viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam moechatum esse in corde suo: Id quod & de quibusdam aliis explicauit Matth. 5. & aliis capitibus: Et Iohannes, cum dicit, *Qui odit fratrem, homicida est* [1. Ioh. 3.]: Apostolus verò Paulus, cum dixit, Se nesciuisse concupiscentiam esse peccatum, nisi lex dixisset, *Non concupisces*, ad vltimum Decalogi praeceptum alludens [Rom. 7.]. De concupiscentia autem actuali locutus non

est, quia ea singulis praeceptis damnatur, Christo interprete, & Iohanne: de corruptione igitur naturae, quam vocat, concupiscentiam (Alioquin decem non essent mandata, si idem in ultimo repeteretur, quod in superioribus singulis) intelligi voluit. Dicit item, peccatum, per legem, operatum in se esse omnem concupiscentiam, actualem scilicet. Peccatum igitur, de quo loquitur, & quod operatur omnem concupiscentiam, differat à suo effectu, necesse est. Lex igitur damnat non solum omnem actualem concupiscentiam, sed etiam eius fontem, id est, originalem. Tertiò ait item, *Non regnet in vestro mortali corpore peccatum, ad obediendum concupiscentijs eius* [Rom. 6.?]: Discrimen igitur facit inter peccatum, cuius sunt concupiscentiae, inter ipsas concupiscentias, & inter ipsam obedientiam erga concupiscentias: Quare praeter actuales concupiscentias, fontem etiam ipsarum in homine inesse, atque (vt Paulus loquitur) inhabitare, qui verè peccatum sit, oportet.

[page 164] 33. Vsque adeò concupiscentia, id est, Naturae corruptio, quam Paulus vocat peccatum, & corpus peccati, & legem membrorum, per se verè peccatum est: vt etiam in renatis, in quibus transit reatu, & manet actu, verè peccatum sit, iuxta veram peccati rationem: Id quod iis rationibus liquet & testimoniis.

1. Roman. 7. Apostolus in sua persona conditionem omnium renatorum describens, docet a parte, in sanctis remanere concupiscentiam, & hanc constanter vocat peccatum: non igitur abusiue, sed propriè peccatum vocatur.
2. Eam quoque vocat legem membrorum, repugnantem legi mentis suae, & captiuantem se in legem peccati. Nomine autem legis mentis, intellexit legem Dei, menti suae inscriptam per Spiritum sanctum. Quod autem repugnat legi Dei, & Spiritus, illud peccatum est. Confirmatur argumentum, apugna etiam, quam Galat. 5. describit in renalis inter carnem & spiritum. Carnis autem nomine, Naturae corruptionem intellexit. Peccatum igitur est, quia pugnat cum Spiritu Dei in sanctis.
3. Concupiscentia originalis in renatis parit concupiscentias carnis prauas: Romanorum 6. & 7. mala igitur sit, oportet, quia *non potest arbor bona, malos fructus facere*. quicquid autem malum & vitiosum est, damnatur lege Dei: quod verò damnatur lege Dei, peccatum est.

4. Quod etiam sancti, immo Spiritus sanctus detestatur in sanctis, illud peccatum est: non enim damnatur, nisi quod lege Dei damnatur. Sancti omnes hanc concupiscentiam in se adhuc manentem, licet non regnantem, detestantur, lugent, cupiuntque illa liberari, quòd multa in se mala agat, & repugnet Spiritui, legique mentis: docet hoc Apostolus in sua persona Roman. 7.

5. Denique à definitione peccati, quam tradit Iohannes, res fit perspicua. Quicquid in nobis vel est, vel mouetur, vel fit contra legem Dei, illud peccatum est. ait enim ἀμαρτίαν esse ἁνομίαν: docens in quacunque re, vel motu, vel actione reperitur ἁνομία, hoc est, deflexio à lege Dei, & repugnantia cum lege, ibi hanc ἁνομίαν vere peccatum esse. Atqui talis res est concupiscentia in renatis, cum quia repugnat legi Dei in mentibus piorum conscriptae, tum quia remoratur eos, ne legem Dei implere possint. [Rom. 7.]

Confirmatio sententiae.

34. Augustinus totam hanc doctrinam passim contra Pelagianos confirmat.

Tom. 7. contra Iulianum Pelagianum libr. 3. cap. 21. praeter alia hoc etiam vititur argumento:

Sancti pugnant contra concupiscentiam: peccatum igitur est. non enim repugnarent illi, nisi illa repugnaret legi Dei in mentibus piorum inscriptae.

Item contra eundem lib. 6. cap. 8. hoc alio vititur argumento. *Concupiscentia in renatis, iniquitas est: est enim iniquum, quod homo deprauatus sit ab illa iustitia, in qua creatus à Deo fuerat: vt caro non subijciatur spiritui, sed ei repugnet.* Proinde etiam Daud, hanc concupiscentiam vocauit iniquitatem, dicens; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.*

Item libr. s. cap. 3. contra eundem Iulianum, sic concludit:

Concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & poena peccati est, quia addita est meritis inobedientis: & caussa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis. Haec ille. Constat autem

cum loqui de concupiscentia in renatis: ait enim, aduersus quam bonus pugnat spiritus: Causa verò cur vocet illam peccatum, est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, cuius mentis? Hominis scilicet fidelis, in qua lex Dei inscripta est. Ierem. 31. Inest igitur illi nobedientia contra legem Dei, hoc autem verè peccatum est.

Si verò concupiscentia in renatis, licet non imputetur, & licet etiam per Spiritum sanctum quotidie mortificetur, & imminuantur eius vires, reuera tamen peccatum est: quantò magis in non renatis, peccatum fuerit?

Satis igitur perspicuè & abundè demonstratum est, quid nomine peccati Originalis intelligendum sit: nempe, inobedientia Adae nobis imputata (quia in illo peccauimus omnes) cum originalis iustitiae priuatione, & eam secuta naturae corruptione, quam Apostolus vocat concupiscentiam. Totum hoc peccatum voco Originale.

Hactenus de nomine & re peccati Originalis satis. Nunc reliqua, paucioribus explicabuntur: Ac primum in quonam peccatum hoc deriuetur.

35. Deriuatur porrò peccatum hoc in omnes homines, qui communi ratione ex Adamo propagantur: per semen scilicet Adami, id est, viri ex muliere. Apostolus enim ait, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors transiit* [Rom. 5.]. Si per vnum, & non per vnam, Qui igitur sine viri semine, ex sola foemina concipitur: in eum, peccatum Adae non deriuatur. Hic autem est solus Christus: qui non ex semine viri, sed de Spiritu sancto conceptus, natus est ex virgine: Iobo quoque id confirmanite, cùm dixit, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*: [Iob 14.] nisi tu Deus? Chri stus autem solus de immundo conceptus non est semine. [page 165] Is igitur solus peccati expers, minimeque immundus est: Nec non & Christo ipso idem manifeste docente, cùm Nicodemo dixit, *Quod natum est ex carne, caro est: quod autem ex Spiritu, Spiritus est* [Ioh. 3.]. Is autem licet caro factus sit, id est, homo, non tamen ex carne, id est, ex semine immundo, sed ex Spiritu, id est, virtute Spiritus sancti conceptus est: Proinde neque dixit, *Oportet nos nasci denuo, sed Vos*: Se solum ab hac renascendi necessitate excipiens. Qua etiam de causa dixit, Neminem ascendere in coelum, nisi qui descendit de coelo (id est, se solum) filium hominis (id est, Mariae) qui est in coelo: Et

Apostolus, solum Christum coelestem hominem vocat, reliquos omnes portare imaginem terreni Adami [1. Cor. 15.]: Solus etiam Adamus typus fuit futuri, non Eua: Roman. 5. Vt igitur qui non sunt renati per Spiritum Christi, ij non sunt iusti: Sic qui non sunt nati ex semine Adae immundo, ij immundi & iniusti non sunt: Sunt autem omnes, vno Christo excepto.

36. Ex quibus etiam sequitur, peccatum hoc in homines deriuari, non exemplo & imitatione, sed propagatione per semen viri facta. *Primum*, Non enim per mulierem, sed per Adamum peccatum intrauit in mundum: Mulier tamen prior Adamo peccauit, & suo exemplo illum in peccatum adduxit. *Secundò*, Paruuli quoque infantes, non exemplo peccant, sed in peccatis concipiuntur atque nascuntur: Psalm. 51. Et Apostolus ait Ephes. 2. Omnes natura, eoque a natiuitate, esse filios irae: quo tempore, peccare exemplo Adae vel aliorum nemo potest: Confirmante hoc eodem Apostolo ad Roman. 5. cum ait, mortem non introiisse in mundum, nisi per peccatum: illam autem regnasse vsque ad Mosen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem praeuaricationis Adae: id est, in pueros, qui peccatum Adae, exemplo & imitatione sequi non potuerunt: mors enim stipendium peccati est. *Tertiò*, pertinet huc, quod Genes. 5. legitur Adamum genuisse filium Seth ad imaginem suam: id est, impium & peccatorem, & non tantum anima rationali praeditum: Apostolo interprete 1. Corinth. 15. cum ait, Sicut portauimus imaginem terreni, id est, peccatum & mortem: Propagatione igitur per semen viri facta, transiisse, transireque in omnes homines, etiam in infantes, peccatum Adae, manifestum est: quatenus cum natura corruptione, reatu quoque inobedientiae Adami, impliciti omnes tenentur.

37. Ex quibus illud quoque fit luculenter manifestum, peccatum hoc non minus cuiusque proprium esse, quam fuerit Adae: 1. *Primum*, quia in Adamo omnes, eoque & singuli peccauerunt, quando ille non vt homo priuatus, sed vt totius humani generis caput, & origo peccauit, mandatumque Dei non sibi soli, sed toti humano generi in ipso traditum transgressus est: 2. *Secundò*, quia peccatum non in Adamo haesit, sed per illum vnum hominem introiit in mundum, id est (vt explicat) in omnes homines. Sicut autem natura humana, quae per illum cuique homini propagatione communicatur, propria fit cuiusque: Sic etiam peccatum, quod eadem propagatione, vnà cum natura deriuatur, cuiusque proprium fiat, oportet. 3. *Tertiò*, Si etiam mors, quae stipendium fuit peccati Adae, ita omnium hominum communis est facta, vt

suaquisque & non aliena morte moriatur: Peccatum igitur etiam quod primum admisit Adamus, ita commune omnium est factum, vt ad singulos priuatim pertineat, & sua quisque culpa peccator sit, non autem simpliciter aliena. 4.

Quartò, Adde, si vera antithesis est inter obedientiam Christi, & inobedientiam Adae, Sicut igitur iustitia & obedientia Christi, ita communis facta est totius Ecclesiae, quae est corpus ipsius, vt quisque fidelis verè dicere queat, illam esse suam: Sic iniquitas Adae, omnium hominum communis facta est, ita vt non nisi propter suam quisque culpam puniatur, & non propter simpliciter alienam: iuxta illud, Filius non portabit iniquitatem Patris, Anima quae peccauerit, ipsa morietur. 5. *Quintò*, Denique scriptura vbique inculcat, omnes iudicatum iri secundum sua ipsorum facta, & non secundum aliena: Atqui multi infantes reprobī, qui actu legem Dei non sunt transgressi, propter solum Originale damnabuntur: Est igitur hoc peccatum factum cuiusque proprium.

38. Quare meritò etiam propter peccatum Originale, omnes non solùm coelo arcentur, verùm etiam morti aeternae adiudicantur, nisi per Christum liberentur.

1. *Primùm*, quia peccatum hoc cuiusque proprium est: stipendium autem peccati mors est, non solùm temporalis, sed etiam, idque inprimis aeterna. 2. *Secundò*, Sicut propter iustitiam Christi nobis imputatam, non solùm liberamur a morte, verùm etiam donamur vita aeterna, Sic propter inobedientiam Adae non solùm arcemur (vt Pighius, voluit) à vita coelesti, verùm etiam aeternae morti adiudicamur, nisi per Christum liberemur. 3. *Tertiò*, Qui non sunt Christo per spiritum regenerationis insiti, hos omnes manet mors aeterna: quia caussa cur quis non pereat in aeternum, est, quia Christo insitus est per Spirituum sanctum, & per fidem, Apostolo dicente ad Roman. nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo: qui igitur in Christo non sunt, hos manet condemnatio. Non sunt autem in Christo infantes nondum renati, & reatu peccati Originis nondum liberati. 4. *Quartò*, Denique doctrina haec semper fuit aduersus Pelagianos defensa ab Augustino, inque Ecclesia recepta: nempè omnes damnari aeterna morte, qui in peccato concepti, ab illo per Christum non liberantur: Tom. 1. [page 166] *Retract. libr. 1. cap. 15.* & in Epistolis ad Xistum, ad Bonifacium, ad Hilarium, denique in omnibus suis libris: Et sic definitum in Concilio Mileuitano, & aliis.

39. *Sic itaque ex omnibus quae dicta sunt definiri posse censemus peccatum Originale: Peccatum Originale haereditaria est, & communis omnium iniquitas, seu ἀνομία: qua per inobedientiam Adae, omnes homines, qui porro ex ipsius semine nati sunt & nascuntur, tum in eo tanquam in sua origine, peccauerunt, tum iniusti effecti, totique quanti sunt, animo & corpore corrupti, filij irae nati sunt, & nascuntur: ad Deum cognoscendum atque amandum, ad caque facienda quae Deo placent, ineptissimi, ad malum autem sua natura propensissimi, ac nisi per Christum liberentur, aeternae morti reipsa tandem adiudicandi. Singulae partes definitionis ex iis quae dicta sunt, suam habent & explicationem & confirmationem: vt longiori probatione opus non sit.*

40. Neque, praeter alias, illa valet, exceptio, quae quidam dicunt, si ideò peccatum Adae translatum est, & transfertur in posteros, quia omnes in eius erant lumbis, pari ratione caetera etiam peccata tum Adae, tum aliorum parentum, in posteros transfundi dicendum esset: Id quod & absurdum videtur, & non videmus semper euenire, cùm ex malis parentibus saepè optimi nascantur filij. Resp. primùm, parem rationem esse negatur, quoniam illud primum peccatum, fuit non tam personale, & proprium Adae, quàm naturale, hoc est, totius humanae naturae commune, eoque verè Originale, Reliqua verò & reliquorum hominum verè personata fuerunt: Id quod inde apparet, quia si non edisset de vetito fructu Adamus, sed mansisset iustus, iustos quoque genuisset liberos sibi similes, iustitiaque originali praeditos: Sicut contrà, post illud primum peccatum genuit filios ad suam imaginem, id est, iustitia originali spoliatos, corruptos, impios, eoque & morti obnoxios. Proinde Apostolus de illo primo peccato dixit, eo nos in Adamo peccasse, non ita autem de reliquis, aut reliquorum parentum peccatis locutus est. Sicut igitur iustitia illa, quam acceperat à Deo Adamus, non illius tanquam personae priuatae propria fuit, sed illi tanquam totius humanae naturae capiti atque origini fuit tradita, Vnde & originalis iustitia fuit à Patribus appellata, eoque omnium hominum communis fuit iustitia: quam autem post resipiscentiam accepit ex misericordia Dei, iustitiam, ea personalis fuit & propria: sic peccatum illud primum, quo iustitiam originalem Adamus, & nos simul in illo amisimus, non fuit illius proprium, sed totius humanae Naturae, quae originaliter (vt ita loquar cum Augustino) & radicaliter, in eius erat lumbis, commune, Vnde & Originale vocatur peccatum: quae autem post admisit, propria ipsius & personalia fuerunt, non autem originalia &

communiam: multo verò minus peccata aliorum parentum, originalia dici potuerunt, aut possunt, parentibusque cum suis liberis communia: Sed de ipsis peccatis per Ezechielem [13.] dixit De us, Filius non portabit iniquitatem patris, Anima quae peccauerit, ipsa (sola) morietur, nempe propter suum proprium peccatum. Ita apparet diuersam esse rationem primi peccati, primi parentis, & aliorum peccatorum, tam quae idem Adamus post admisit, quàm quae reliqui nostri parentes perpetrarunt. Atque haec prima est responsio. Deinde negant multi viri docti absurdum esse, si dicatur peccata proximorum parentum communicari liberis, ita vt similes parentibus nascantur filij, vitiosi vitiosis: id quod tum experientia, tum exemplis sacrarum literarum, tum illo etiam dicto Exod. 20. Visitabo iniquitates Patrum in filios, confirmare conantur. Augustinus certè in Enchirid. cap. 46. ait hoc probabile esse: idque propter dictum illud, Visitabo iniquitates Patrum in filios. Si enim filius (vt Dominus ait per Ezechielem) non portat iniquitatem patris, sed Anima quae peccauerit, ipsa morietur, & tamen Deus visitat iniquitates Patrum in filiis: consequi videtur, Deum permittere, vt peccata parentum in filios transeant, filijque parentum peccata sequantur: vt ita iuste puniantur in eis peccata, quae non tam parentum sunt propria, quam ipsorum liberorum cum parentibus communia. Itaque viri docti sentiunt absurdum non esse, peccatorum, quae aliquis parens admittit, labem, & ceu contagium, iusto Dei iudicio, redundare in eius corpus & sanguinem: & per eius porrò sanguinem atque semen, in filios, quos ex illo semine ita vitiose affecto gignit, trans fundi: corpore primùm talium filiorum, illa peccatorum labe & contagione infecto, & deinde per corpus, anima. Quod verò hoc non semper eueniat, vt filij nascantur parentibus impiis similes & similibus vitiis affecti: hoc aiunt ex Dei gratia proficisci, qui miseretur liberorum, & non sinit iniquitatem parentum longius progredi: sicut ex impio Achazo, natus est pius Eechias: si autem contra, ex piis parentibus pessimi nascantur filij, hoc fieri iusto, quamuis occulto, Dei iudicio: quemadmodum natus est ex pio Ezechia impius Manasses, & ex hoc Ammon: ne scilicet existimemus pietatem transfundiper carnem & sanguinem, sicut vitia transfundi plerumque solent.

Sententiam hanc defendit Martinus Bucerus in 5. cap. ad Roman. quem etiam Martyr secutus est. atque hinc magis ac magis confirmari transfusionem peccati Originalis, docent: quia si videmus plerumque parentes, filios sibi ingenio et moribus similes procreare: quid miramur, quod Spiritus sanctus tradit de peccato, vitiosaque natura Adae, in posteros tranfusa?

[page 167] 41. Quantus verò sit huius doctrinae, quam de peccato Originali tradidimus, vsus: hinc manifestum fit, 1. Primùm, quia nisi quis intelligat quotquot ex Adami semine, corrupti generantur, ipsis iniustitiam Adae imputari, is neque credet iustitia Christi nos coram Deo verè & perfectè iustos reputari, & esse, quicunque per eius Spiritum & fidem renati sumus: quae caussa est praecipua, cur Apostolus antithesin hanc inter Adamum & Christum, interque illius inobedientiam, & huius obeditionem, interque eos qui ex Adamo nascuntur, & eos qui ex Spiritu Christi renascuntur, explicandam suscepit. 2. Deinde, nisi credamus totam naturam nostram. nasci corruptam, eamque corruptionem verum esse peccatum: neque etiam persuaderi nobis patiemur, totius hominis regeneratione opus esse: Cùm tamen ideo instituta sit regeneratio (sicut observauit Augustinus) quia vitiosa fuit & est generatio: quo spectat quod Christus etiam prius docuit: Quod natum est ex carne, carnem esse, corruptam scilicet & peccatricem: & postmodum necessitatem regenerationis ostendit, dicens: oportet vos nasci denuò: quam docendi methodum Apostolus quoque ad Roman. & in hoc cap. 2. Ephes. immo & ipse, & omnes Apostoli ac Prophetæ, semper secuti sunt. Non potest igitur doctrina de Redemptione per Christum, de iustificatione per fidem consistere, aut rectè intelligi: nisi prius doctrina de peccato Originali, deque peccato in nobis haerente, vnde reliqua omnia proficiscuntur, probè à nobis percipiatur, firmaque retineatur. Ac de loco hoc, hoc est, de peccato in genere, & de peccato Originali, satis. Neque enim nostri instituti est in tradendis his locis theologicis, omnia ad uersariorum argumenta refutare: Sed simpliciter doctrinam breuiter explicare: Sequitur ergo locus secundus, nempe de iustificatione per Christum.

LOCVS SECVNDVS DE Iustificatione, ex secundo cap. Ad Eph. vers. 4. Sed Deus qui diues est misericordia, &c.

1. Prima efficiens iustificationis caussa Deus est, qui iustificat impium, Roman. 4. & mortuos in peccatis, viuificat, Ephes. 2. vers. 4. & 5. Is enim solus est, qui remittit peccata, Iesa. 43. 25. Marc. 2. 7. *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Et meritò. Solus enim etiam is est, in quem propriè peccatur, cùm illius lex violatur. Solus etiam est, qui potest hominem de immundo conceptum semine, facere mundum: Iob. 14. 4. Solus enim ius habet in animas nostras.

2. Altera efficiens caussa, est Christus solus mediator & pontifex: quatenus ipse solus obediens fuit Patri vsque ad mortem pro nobis, & ita solus suo sanguine atque λύτρω nos redemit, remissionemque peccatorum & vitam aeternam solus nobis impetrauit, ac promeritus est: Ac proinde iest, in quo solo, & propter quem solum Deus nos iustificat, & viuificat, vers. 5. 6. Item vers. 13. 14. 15. 16. &c. Et Roman. 3. *Iustificati gratia ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorem in sanguine ipsius.*

3. Hinc etiam apparet, quae caussa sit materialis salutis nostrae, & iustificationis nostri, quam alij meritoriam vocant: nempe sanguis, sacrificiumque totum corporis Christi: In hoc enim tota materia salutis nostrae posita est: vers. 13. ait, nos factos esse propinquos per sanguinem Christi: Item ver. 16. nos reconciliatos esse Deo in vno Christi corpore per crucem.

4. Caussa formalis, id est, iustitia, qua instificamur, duplex est: vna, qua verè & perfectè coram Deo iusti reputamur, & sumus, nempe in Christo. Ea consistit in remissione peccatorum nostrorum, per sanguinem Christi parta, & in imputatione obedientiae, perfectissimaeque iustitiae eiusdem Christi: de quae Roman. 5. *Per vnus obedientiam iusti constituuntur multi:* Et de qua Genes. 15. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam:* Et Psalm. 32. *Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Beatus vir cui non imputat Dominus peccatum.* Haec est vera nostra iustitia. Altera est, qua per Spiritum Christi nobis communicata, & reapse in nobis haerente, seque per opera foras exerente, sumus iusti coram hominibus etiam, & pro iustis ab ipsis agnoscimur, & habemur: & consistit in renouatione naturae, ac regeneratione: constatque mortificatione veteris hominis, & renouatione noui, odio peccati, & amore iustitiae, studioque bonorum operum: quae & iustitia inhaerens, & enchoata obedientia vocari solet: de qua I. Iohan. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est:* & Apocalyp. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc,* id est, fiat magis ac magis iustus: atque hanc, effectum illius prioris esse, dicimus: Sic etiam Psalm. 32. de prima dixit, *Beatus cui non imputatur peccatum:* De altera, & *in spiritu eius non est dolus.* Ac proinde hanc ab illa non separamus reipsa, sed tantùm distinguimus. Sicut enim in peccato Originali, quod ab Adamo habemus, duo

esse diximus, inobedientiae illius reatum ac imputationem, & eam consecutam iustitiae priuationem, naturaeque corruptionem, & vtraque parte nos facti sumus iniusti. Sic si vera est antithesis inter Christum & Adamum, illiusque iustitiam, & huius iniustitiam, vtramque à Christo iustitiam habeamus, necesse est: Neque Apostolus vnā ab altera seiungit, sed tantum in priori veram coram Deo nostri iustificationem collocat, [page 168] quod ea sola perfecta sit iustitia: In altera verò, vt magis ac magis quotidie proficiamus, hortatur, ne sinamus peccatum regnare, & ita Deum glorificemus. Proinde etsi studendum est huic iustitiae toto vitae tempore: nunquam tamen ea niti possumus coram Deo, nec debemus.

5. Electos autem in Christo, id est, solos, licet in peccatis mortuos, iustificat & viuificat, vers. 5. Roman. 8. ver. 30. *Quos praedestinavit, hos & vocauit: Et quos vocauit, hos & iustificauit.* Item, *Quis intentabit crimina aduersus Electos Dei? Deus est, qui iustificat:* scilicet, Electos Dei: *Quis est qui condemnet,* (Electos Dei?) *Christus est is, qui mortuus est* (pro electis Dei) Solos enim eos iustificat, quos etiam glorificat: Roman. 8. Reprobi autem nunquam glorificabuntur: Sicut neque vnquam vera fide donantur, quae iustificari possint: Est enim fides Electorum tantum, Titum 1. Actor. 13.

6. Annulla autem re extra se posita, adducitur Deus, ad homines iustificandos: Sed à sua tantum gratia, & à multa charitate, qua dilexit nos, eoque & à misericordia sua, in qua diues est erga nos: vers. 4. 5. Item, *Non ex vobis, Dei donum est: Non ex operibus, ne quis gloriatur.* 8 9. Item, *Non ex operibus iustitiae, quae fecerimus nos, sed ex sua misericordia saluos nos fecit:* Tit. 35. Neque enim nomine Gratia intellexit Apostolus (vt Pelagius volebat) vel beneficium creationis, vel naturae possibilitatem (vt ille loquebatur) vel reuelationem Legis; neque etiam habitum infusum, vt volunt Sophistae: Sed gratuitum Dei fauorem, quo nos in Christo complexus est, & vera Charitas erga nos, & misericordia, qua condonat peccata, & miseretur quorum vult misereri.

7. Neque in hoc negotio iustificationis negligit Deus instrumenta atque organa: Vtitur. enim verbo & Sacramentis, quae verba sunt visibilia, perque haec suam offert gratiam, & Christi beneficium, remissionem peccatorum, & perfectam Christi iustitiam: neque à nobis exigit, nisi vt ei credamus, fideque gratiam hanc & beneficium amplectamur. vers. 17. *Et veniens euangelizauit*

pacem: Et Roman. I. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. De Sacramentis ait Ephes. 5. Vt eam (Ecclesiam) sibi sanctificaret, mundans eam lauacro aquae per verbum.

8. Hinc fit perspicuum, quodnam vicissim a nobis exigatur instrumentum, quo per verbum tam visibile, quam audibile oblatam gratiam recipiamus: nempe fidem exigit, eamque in hoc officio solam. Etsi enim vera fides sola non est, sed cum spe, charitate, veraque poenitentia semper coniuncta: Sola tamen, tanquam lumine, quae in Verbo & Sacramentis offeruntur, videmus, & eadem sola fide, tanquam manu, oblatam amplectimur gratiam. Verbum enim auditur auribus, & Sacramenta percipiuntur aliis sensibus: Sed quod in vtrisque offertur, sicut non intelligitur, nisi mente fide praedita, sic etiam non recipitur, nisi eadem mente, & spiritu fide affecto. Atque haec vna est caussa, cur sola fide, seu per solam fidem dicamur iustificari: quia nullo alio percipi à nobis potest instrumento vera & inuisibilis Christi gratia atque iustitia, Verbo & Sacramentis proposita, quam fide, fide inquam, res non apparentes sola inter omnes virtutes intelligente, & res absentes apprehendente, & vt subsistant in animis nostris, efficiente: Hebr. 11. Ideò hic in cap. 2. vers. 8. ait, *Gratia estis seruati perfidem* (tanquam per instrumentum) & id negat ex operibus, tanquam ex meritis, contingere: Neque etiam dicit, per charitatem, aut per opera tanquam per organa, seruati estis: Sed duntaxat, per Fidem, quia sola organum est ad hanc rem accommodatum, atque idoneum.

9. Ex quibus illud quoque intelligitur, Neque fide, quatenus opus est, cultum Deo praestans, hominem iustificari, cùm ex operibus simpliciter neget Apostolus nos seruari: Cuius rei ratio est, quia sicut non amamus Deum toto corde, vt iubet lex, Sic neque credimus Deo simplici mente, & sine vlla dubitatione, fideque perfecta, vt eadem lex postulat. Quare cum fides etiam licet vera, semper tamen sit imperfecta, eoque non respondeat legi Dei: efficitur, neque ipsa, quatenus opus est quoddam, hominem iustificari posse, sed ipsam quoque opus habere, vt quicquid in ea est defectus, condonetur per gratiam Dei: & dicat Deo, Domine adinua incredulitatem meam: alioqui non sola gratia Dei seruaremur, si etiam ex fide, tanquam ex opere.

10. Duplici autem sensu, Fide hominem iustificari, dici & intelligi potest: instrumentaliter nimirum (vt ita loquamur) & formaliter: Vtroque autem sensu, sola semper fide iustificamur. Priori quidem sensu, quia hac sola

tanquam instrumento (vt modò dictum est) ad hanc rem accommodato, gratiam Dei, & iustitiam Christi percipimus: Posteriori verò, quatenus sola Christi obedientia atque iustitia per fidem apprehensa formaliter iustificamur: vt fides apprehendens pro re apprehensa, in hac locutione accipiat, iuxta illud, *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam*: Quid fuit imputatum? propriè non ipsum credere, Sed illud ipsum quod de semine promisso credidit. Ita (vt loquitur Bucerus) fides iustificat, non actione, sed passione: quia in iustificatione nihil dat, sed tantum accipit: & quod accipit, eo ipso iustificamur.

11. Hinc etiam perspicuum fit, quatenam opera ab officio iustificandi excludat Apostolus, cum ad Rom. & Galat. concludit. ex operibus Legis hominem non iustificari, & cum hic aperte negat, [page 169] nos seruari ex operibus, vers.

9. Opera nimirum omnia, quae à nobis fieri possunt, non solùm legis ceremonialis, sed etiam moralis, & non solùm quae ante fidem, sed etiam quae post fidem, & ex fide fiunt: Ratio est, quia nulla vnquam legi Dei satisfaciunt, legemine implent, iuxta illud, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur. homo viuens*: Et illud, *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*: Et, *Lex infirmatur per carnem*: Et, *si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*: Et, *Omnes peccauerunt, & deficiuntur gloria Dei*.

12. Finalis caussa, cur Deus voluerit velitque hac ratione hominem iustificari, nempè ex nullis operibus nostris, sed tantùm ex sua gratia, & per Christi obedientiam atque iustitiam sola fide apprehensam, duplex est: Vna, vt ne quis in seipso glorietur: vers. 9. Sed omnis gloria Deo attribuat, patefactis summis diuitiis gratiae ipsius: vers. 7. ad ostensionem iustitiae ipsius summae, id est, summae clementiae et bonitatis in hoc seculo, vt ipse solus sit iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi: Rom. 3.

Altera est, vt salus nostra tutior sit, & firma maneat promissio, suum habens complementum: *Propterea ex fide* (inquit Apostolus Roman. 4. vers. 16.) *vt sit per gratiam, & vt firmasit promissio toti semini*. Tutior enim & firmior est in manibus Dei, quam in nostris, salus nostra: proinde eam esse voluit ex gratia sua, & non ex operibus nostris. Nunc explico quod forte initio videbatur explicandum: Sed non sine caussa praemisi, quae faciliora mihi visa sunt: vt quod difficilius est, facilius ex praemissis intelligeretur: Hoc

autem est de verbo iustificandi, deque ratione qua Deus in nobis iustificandis vitur. Ergo haec esto Thesis.

13. Verbum porrò iustificandi, ad summam, duplicem habet significationem: Primùm significat, aliquem a criminibus, de quibus accusatur, absoluere, iustumque & innocentem in iudicio pronuntiare: & verbo condemnandi opponitur: vt Deuteron. 25. & Prouerbior. 17. versas. Et apud Euangelistas liquet: *Ex verbis tuis iustificaberis* (ait Dominus) & *ex verbis tuis condemnaberis*. Sed hoc fieri bifariam potest, nempe aut iuste, aut inique iuste, vt si iudex, cognita alicuius innocentia & probitate, absoluat, cum à criminibus falsò illi obiectis: inique verò, si quem index nouit verè facinosum esse, cum tamen iustificet, id est, absoluat, iustum pronuntians, & omni poena liberet, contra vero, iustum condemnet: quo nihil magis abominabile esse in conspectu Domini, Salomon ait. Prouerbior. 17. vers. 15. Atque haec prior significatio, planè forensis est: prout scilicet verbum hoc vsurpatur in foro iudiciali.

Altera verbi significatio est, hominem ex iniusto, iustum fieri: sicut etiam sanctificari, est ex profano sanctum fieri: qua significatione dixit Apostolus, *Et haec eratis quidam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Iesu, per Spiritum Dei nostri* [1. Cor. 6.11.]: id est ex immundis, mundi, ex profanis sancti, ex iniustis iusti facti estis, per Spiritum sanctum, propter Christum, in quem creditis. Ad quam significationem illud etiam spectat, quod Apocalyp. 22. legimus, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: id est, fiet reipsa ex inсто, magis iustus, nempè sicut etiam ex iniusto factus est iustus. Et iuxta hanc significationem Patres, atque inprimis Augustinus verbum hoc interpretati sunt: Vt iustificari illis nil aliud fuerit, quam ex iniusto iustum fieri, per gratiam Dei, propter Christum: Legatur praeter alia loca, Tom. 2. Epistola 105. ad Sixtum. Item Tomo 7. de gratia Christi contra Pelagian. & Caelest. libr. 1. Item, de peccatorum merit. & remiss. libr. 1. Item Tom. 3. de spiritu & Littera, cap. 28. Haec sunt duo certa huius verbi iustificandi significata.

14. Ad primam igitur significationem quod attinet, proprium Dei est, tanquam veri & supremi iudicis, homines iustificare & condemnare: id est, alios absoluere, iustosque pronuntiare & alios condemnare: Ac officium hoc facit nunc Deus, partim in conscientia cuiusque priuatim, partim in Ecclesia

publicè: perfecturus tandem in vltimo illo iudicio, coram toto mundo, & Angelis suis. Absit autem, vt cum Apostolus ait, Deus iustificat impium, ita intelligamus, vt qui simpliciter impius est, eum Deus tanquam pium absoluat, iustumque esse pronuntiet, qui reipsa iniustus est: cùm scriptura dicat, Deuin odisse impium, & impietatem eius: & Deus sit summa sapientia, veritas atque iustitia. Omnes autem homines, sua natura iniusti sunt: & nemo seipsum facere potest iustum, sed solus Deus. Consequitur ergo neminem à Deo absolui, iustumque pronuntiari: nisi quem ipse prius fecerit iustum per gratiam suam: Sic admisit Bucerus in Disp. Ratisb. 291.

15. Caeterùm (vt ad alteram significationem veniamus) sicut duplex est iustitia (vt supra ostendimus) qua iustificamur, id est, qua fimus iusti: sic Deus bifariam facit homines iustos: Primum, cùm electis suis Christo iam per Spiritum sanctum fidemque insitis, & incorporatis, ex sua misericordia ac gratia, propter Christum, in quo fuerunt electi, & cui propter ipsorum delicta mortuo, & propter ipsorum iustificationem resuscitato, insiti sunt, non imputat ipsorum peccata, sed omnes condonat iniquitates, vtpote quae sanguine Christi extinctae fuerunt: Et contra, obedientiam, iustitiamque Christi, illis vtpote Christi membris, quibus quae propria sunt capitis, communia fiunt, propter eundem Christum imputat: [page 170] per vnus enim obedientiam, nempe imputatam, iusti constituuntur multi, id est electi omnes, Christo iam per Spiritum sanctum insiti. Cùm autem haec sit vera & perfecta iustitia, quae in remissione peccatorum nostrorum, & in imputatione iustitiae Christi, consistit: quis non eos verè ex iniustis iustos esse factos dicat, qui iustitiam hanc in Christo consecuti sunt?

16. Sed accedit altera etiam iustitia, a priore quidem inseparabilis reipsa, ratione tamen distincta, & manifestum prioris testimonium, iustitia inquam inhaerens, qua licet perfectè in nobis ipsis iusti non simus, quòd contaminetur. per carnem haec iustitia, talis tamen est, vnde possumus tum nos ipsi, an verè ipsi Christo insiti simus, eoque in illo perfectè iusti, nec ne simus, intelligere, tum ab aliis hominibus, propter externos huius iustitiae fructus pro iustis cognosci, iustique aestimari ac pronuntiari: ita vt si Deus nos per Ecclesiam absoluat, iustosque pronuntiet, dicere nemo hominum queat, Deum qui iusti non sunt, eos inique iustos pronuntiare.

17. Cùm igitur Deus vtraque iustitia, nos iustos reipsa efficiat, vna quidem coram se, altera autem etiam coram hominibus: nullo modo dici potest, cùm Deus Electos fideles iustificat, id est, iustos pronuntiat, atque ab omni culpa & poena absoluit, cum homines simpliciter impios & iniustos absoluere, iustosque pronuntiare: quòd hoc cum summa ipsius iustitia & veritate ex diametro pugnet: sed iustos à se factos absoluit, nempe fideles, iniustos autem & infideles, condemnat.

18. Caeterùm licet nos Deus vtraque iustitia iustos efficiat, imputata & inhaerente, ac proinde licet nunquam absoluat eos, qui simpliciter impij sunt, dum scilicet impij, & iniusti manent: non tamen propter inhaerentem absoluit, iustosve pronuntiat, sed propter imputatam Christi iustitiam: quando inhaerens talis est nostro vitio, vt legi Dei non satisfaciat, eoque opus habeat suorum defectuum, suaque imperfectionis condonatione: iuxta illud, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur viuens.*

19. Porrò absolutio haec Dei, qua nos ex iniustis, iustos iam remissione peccatorum, & imputatione iustitiae Christi factos, ab omnibus intentatis aduersus nos criminibus, & ab omni poena illis debita absoluit ac liberat, inque suam recipit gratiam, & iustos haeredesque regni coelestis, propter Christum pronuntiat, haec inquam absolutio fit primùm in hac vita, deinde perficietur in fine seculi. In hac quidem vita fit, cum maiori illi propositioni diuinae in Ecclesia & per Ecclesiam prolatae, nempe, Quicumque credit in Filium Dei Iesum Christum, quod per eius obedientiam iustus factus sit coram Deo, sicut per inobedientiam Adae iniustus factus fuerat, hunc Deus pro iusto agnoscit, habet, pronuntiat, atque ab omnibus criminibus, quae illi obijci possint, eoque & ab omni reatu ac poena peccatis debita absoluit, ac liberat, Cùm inquam huic propositioni diuinae in Ecclesia prolatae, & creditae, fidelis in sua assumit conscientia, Atqui ego credo in Filium Dei, meque tam per huius obedientiam, reputari iustum coram Deo persuasum habeo, quam etiam credo per inobedientiam Adae peccatorem & iniustum fuisse, cùm non minoris efficaciae sit obedientia Christi, quàm fuerit inobedientia Adae: Qui inquam propositioni illi diuinae, hoc modo, ex vera conscientia assumit: is statim in seipso sententiam Dei, per suum Spiritum spiritui nostro loquentis, audit, qua certò sentit, ex Dei gratia & propter merita Iesu Christi, se absolutum esse ab omni reatu, poenaeque aeternae

mortis liberatum, & inre aeternae vitae donatum. Haec est prima iustificatio, seu absolutio: de qua & Apostolus, *Spiritus sanctus reddit testimonium Spiritui nostro, quòd summus filij Dei: quòd si filij, & haeredes* [Rom. 8.].

Altera fiet in fine seculi, cùm Christus pronuntiabit de fidelibus; *Vos estis benedicti patris mei: possidete ergo regnum, quod vobis paratum fuit à constitutione mundi* [Matt. 25.].

20. Quanquam autem Deus (vt dictum est) neminem absoluit, pronuntiatve iustum, nisi quem prius ipse, condonatis peccatis, & imputata iustitia Christi verè fecerit iustum: vtrumque tamen eodem fit tempore, & vtrumque vir fidelis per fidem simul intelligit ac percipit. Sicut enim nemo audire potest in sua conscientia, persuasumque habere, se absolutum esse coram Deo ab omni reatu & poena peccatis debita, nisi credat sibi ex misericordia Dei, & propter Christum remissa esse peccata, imputarique iustitiam Christi: Sic simulac quis hoc vere credit, statim etiam illud habet persuasum, inque sua sentit conscientia, se transiisse à morte ad vitam, sibique nihil amplius superesse damnationis, iuxta illud Christi, *Qui credit in me, non venit in iudicium, sed transiit à morte, &c.* [Ioh. 5.] Et Roman. 8. *Nihil damnationis, &c.* Vtrumque autem hoc, nempe & iustum iustitia Christi fieri, & iustum in propria conscientia per Spiritum Dei pronuntiari, atque ab omni reatu absolui, simul coniunctum, iustificationis nomine in sacris literis, praesertim apud Apostolum significari solet: vt in hominis iustificatione, vnum ab altero separari nullo modo possit, vel debeat, cùm vtrumque simul & eodem temporis momento fiat, accedente simul etiam ipsa cordis innouatione ac regeneratione.

21. Atque hinc etiam liquido apparet, iustificationem per solam fidem, non esse rem imaginariam: quando testimonium habet non solum externum in sacris literis, sed etiam internum à Spiritu sancto, qui efficaciter per hanc fidem [page 171] à se in nobis excitatam, operatur in cordibus nostris, certos nos reddens de remissione peccatorum propter Christum, pronuntians nos receptos esse in gratiam, & ab omni culpa & poenaabsolutos, pacans & tranquillans efficiens conscientias, purificans corda nostra, eaque tum odio peccati, tum amore iustitiae afficiens, totum denique hominem, vitamque renouans in iis, qui per solam in Christo fidem iustificari in sacris literis dicuntur.

22. Solet autem Deus, quos in Christo ab aeterno in filios elegit, & quos postea in tempore cùm adhuc inimici essemus, per Christum redemit, sibi que reconciliauit: eos hoc ordine in cognitionem suae gratuita Electionis, gratuita per Christum redemptionis, omnisque spiritualis benedictionis, qua in Christo fuimus benedicti, adducere, eo que & in Christo iustificare, & seruare.

1. *Primùm* nos suo quemque tempore, praedicatione Euangelij, cuius summa haec est, *Sic Deus dilexit mundum, &c.* [Ioh. 3.] per Spiritum suum sanctum, è mundo ad Christum seligit atque efficaciter vocat, donatos tum vera fide, qua vocantem audiamus, & quicquid per Euangelium annuntiat, verum esse credamus, tum etiam Spiritu regenerationis, quo nos Christo inserit, illiusque efficit membra: quamuis Christo nos esse insitos (vt in pueris liquet) nondum manifestè initio semper sentiamus.

2. *Deinde* ex illa generali fide, quam praebemus Euangelio, nos in veram sui, id est, Dei mittentis, ac Christi missi, simulque & nostri, pro quibus missus est, cognitionem adducit, solidoque sensis & peccatorum nostrorum, & irae suae aduersus peccata, atque adeò etiam bonitatis suae erga nos afficit: quippe qui peccata nostra vt expiaret & tolleret è mundo, nosque seruaret, dedit Filium in mortem: luculentissimum certè testimonium & irae Dei aduersus peccata, & amoris erga nos.

3. Hinc *tertio* loco excitat in nobis poenitentiam, qua contriti corde, nostra detestamur ex animo peccata, quibus tam bonum offendimus. Deum, & poenitet nos totius malè actae vitae; ad Deum vero pro remissione peccatorum suspiramus, Christi iustitiam esurientes atque sitientes: Statim fiduciam quoque excitat, fidei effectum, qua humiliatas erigit conscientias, deducens animos nostros ad CHRISTVM, cumque nostram esse iustitiam & sanctitatem persuadens.

4. Hinc *quarto* loco efficit, vt sensu viuæ fidei sentiamus nos Christo insitos esse: eo que propter ipsum, tum remissionem peccatorum consecutos, tum iustitia ipsius vestitos, iustosque effectos, ab omni etiam reatu & condemnatione absolutos esse in conspectu Domini nullo modo dubitemus.

5. *Quintò*, Vt huius rei certum manifestumque testimonium habeamus, praeter fiduciam; qua audemus ad Deum libere inuocandum accedere: addit etiam mentis cordisque renouationem, qua sentimus nos odio peccati, & amore iustitiae affectos, in Deum quoque ipsum amore affici, gloriaeque illius promouendae studio teneri.

6. *Sextò*, Spem etiam donat, qua speramus fore, vt quae nunc inchoata in nobis sunt, ea tandem certò per & propter Christum perficiantur: postremamque absolutionem simus audituri, *Venite benedicti Patris mei, &c.*

7. *Septimò*, ne nostra spes fallatur, promissioque ipsius irrita fiat: conseruat & auget in suis Electis tum fidem illam, quae sola solam etiam misericordiam Dei, solamque Christi iustitiam apprehendente, illaque sola nitente, iustificari nos, diximus: tum etiam bonam conscientiam, internamque & inhaerentem iustitiam, in finem vsque vitae: regens nos suo Spiritu, perque studium bonorum operum in plenam aeternae vitae possessionem deducens: de quo incremento, & de qua perseuerantia, ad finem secundi capitis ad Ephesios in metaphora Templi disseruit Apostolus: & clarius etiam in cap. 4.

8. *Octauo*, Vt autem nostra iustificatio & salus sit semper in finem vsque vitae, ex sola fide, id est, ex sola gratia & misericordia Dei, & non ex operibus nostris: permittit pro sua admirabili prouidentia, sanctos suos & peccatum semper secum gestare, & in varia subinde labi delicta, quò semper cogamur ad thronum gratiae & misericordiae ipsius confugere, petentes remissionem peccatorum propter obedientiam Christi: In quem etiam finem variis nos exercet afflictionibus, ex quibus intelligamus, nos nunquam carere peccatis, quorum venia & remissio semper petenda nobis sit propter Christum: atque ita salus & iustitia nostra sit semper ex fide in fidem, ad gloriam ipsius Dei, & Filij eius Iesu Christi Domini nostri.

LOCVS TERTIVS EX Secundo cap. Ephes.

De Gratia Dei.

Quia gratia & opera, id est, merita opponuntur, vers. 8. 9. Et sic etiam Roman. 11. idcirco de operibus dicturi, necesse est dicamus prius de Gratia:

praesertim quòd de vtroque hic agit Apostolus, & vtrumque opposuit dicens: *Gratia seruati estis, non ex operibus.*

1. Quod Latinis est Gratia, & Graecis χάρις, id Hebraeis est חַן, à חַנּוּן, misertus est, donauit, gratificatus est: Ac cum ad Deum refertur, duo in sacris litteris significat, 1. *Primò* fauorem gratuitum, gratuitamque beneuolentiam, qua Deus dignatus est, & dignatur homines nihil tale promeritos, amplecti, eorum misereri, illisque benefacere: [page 172] atque haec gratia in ipso est Deo, in nobis autem eius tantum effecta, & sensus atque gustus, de qua hîc Apostolus versus. *Gratia estis seruati*, id est, gratuito Dei fauore, amore, misericordia, non autem ex operibus vestris: Et Maria, alijque sancti viri saepè in sacris literis, *gratiam apud Dominum*, id est, gratuitum fauorem, quem ipsi non quaerebant, & de quo nihil planè cogitabat, ceu thesaurum in agro, casu inuenisse, & consecuti esse leguntur: qua phrasi verè gratuitum esse fauorem declaratur. 2. *Deinde* significat gratuitum beneficium & donum, quodcunque illud sit, quod à priori gratia Domini profectum, in homines gratis confertur: de qua Ephes. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia, iuxta mensuram donationis Christi*: quapropter dicit, *dedit dona hominibus*. Iuxta vtramque autem significationem, Gratia Latinis dicitur (interprete Augustino) eò quòd gratis detur: Quando & gratuitus est omnis Dei fauor, & gratuita omnia eiusdem dona, vt vel sola vocis etymologia omnia excludat merita nostra, gratiaque non sit vllo modo, si non sit gratuita omni modo.

2. Est autem gratia, iuxta priorem significationem, de sententia Augustini, duplex [Tom. 2. Epist. 95...Cap. 11.]: Vna generalis, generalis scilicet fauor & amor, quo diligit omnia, quae sunt, vt est in libr. Sapientiae, omnibusque hominibus citra exceptionem bene vult & benefacit, pluens, & solem oriri faciens tam super malos, quàm super bonos, dans tempora fructifera, & omnia corda implens cibo & laetitia [Matt. 5. Act. 14.]: Altera specialis, specialis nimirum amor & fauor, quo nos elegit in Christo, & electos redemit, sibi que reconciliauit, efficaciter vocat, iustificat, seruat, glorificat: de quae in hoc cap. 2. & alibi millies in sacris literis: Cum generalis ille amor & dilectio, gratia Dei in sacris literis appellari non soleat, sed specialis tantùm, quo peculiariter electis fanet, eosque seruat in vitam aeternam: qui etiam (fauor) hanc ob caussam, solus proprie vocari potest gratia gratum faciens, quia scilicet Deus ex solo suo fauore & ἐνδοκία, nos sibi gratos effecit in dilecto Filio suo [Eph. 1.].

[Tom. 7. de prdest. & gratia, cap. 11. item de gratia, &...cap. 17...] 3. Idem verò specialis fauor erga electos, non incongruè in gratiam primam, ac secundam, praeuenientem ac subsequentem, operantem & cooperantem diuidi solet ab Augustino, et à Scholasticis: quatenus Deus primùm dilexit nos, & secundò, suae dilectionis effecta semper communicat, vocando, iustificando, glorificando: Et quatenus praeuenit, vt vocemur, subsequitur, vt iustificemur & glorificemur, praeuenit vt mortui in peccatis, viuificemur; subsequitur vt viuificati, in bonis vitae operibus ambulemus: & denique quatenus operatur vt velimus, cooperatur vt perficiamus: Ipse enim & vt velimus operatur incipiens, & volentibus cooperatur perficiens, vt loquitur Augustinus. Ita gratia haec & initium est, & consummatio salutis nostrae: Vt verè de tota loquens salute Apostolus dixerit, *Gratia seruati estis*. Atque haec de prima Gratiae significatione.

4. Gratia verò iuxta alteram significationem diuiditur primùm in ea dona, primaeque illius gratiae effecta, quae ad salutem eius, quibus communicantur, necessaria sunt, vti est Fides, Spes, Charitas, & huius generis alia: quam ob causam, à Scholasticis, sed improprie, *Gratiae gratum facientes* appellatae fuerunt: Et deinde in ea diuiditur dona, quae ad aedificationem Ecclesiae pertinent, veluti sunt donum prophetandi, docendi in Ecclesia, discernendi Spiritus, varijs loquendi linguis, & id genus alia, de quibus 1. Corinth. 12. quae non solùm Electis, verùm etiam reprobis ad Ecclesiae vtilitatem communicari solent: qua de causa, *Gratiae tantùm gratis datae* appellantur in Scholis.

Gratia iuxta priorem significationem, Huius secundae, omniumque effectorum eius, eoque totius salutis nostrae, Electionis, Redemptionis, Vocationis, Iustificationis, Glorificationis causa est efficiens: versu 4. 5. 8. & deinceps: & cap. 1. Eius autem nulla est, esseve potest praeter ipsum Deum, infinitamque eius bonitatem, causa: quando ab illa priori gratia, ipsa etiam pendet aeterna Electio, initium, fundamentumque salutis nostrae.

6. Summae igitur est non solùm impietatis, verùm etiam inscitiae, dicere, hominem suis operibus, aut etiam fide quatenus opus quoddam est, gratiam Dei, qua remittit peccata, qua iustificat, qua seruat, sibi promereri posse, atque etiam praeuisa opera, causam fuisse aeternae Electionis: cum nullo

modo fieri possit, vt quod est alicuius caussae effectum, idem sit eius suae caussae, aliqua efficiens causa.

7. Omnis porrò gratia, tam illa prior fons omnium bonorum, quam reliquae omnes ab illo fonte profluentes, in solo Christo, & propter solum Christum, communicatae nobis sunt, & communicari solent: Ita vt neque extra Christum, neque propier vllam aliam rem, quàm propter Christum, particeps gratiae Dei quis fieri, possit: sicut ex toto primo, & toto secundo cap. Ephes. liquet: & Iohan. 1. *Lex per Mosen data est, gratia autem & veritas, per Iesum Christum facta est:* Ac proinde nemo etiam, praeter Christum, verè dici potest gratiam Dei aliquam sibi vel alijs promereri vnquam potuisse, vel posse.

8. Ex quibus etiam sequitur, sine Christo, sineque eius Spiritu, neminem ad gratiam vllam recipiendam seipsum praeparare posse: quando omnis gratia communicatur in solo Christo, Et ad omne bonum, gratia Dei nos semper praeuenit, [page 173] atque subsequitur: *Et praeparatur voluntas à Domino* (ait scriptura:) Non igitur homo seipsum praeparat, suamque voluntatem.

9. Porrò per & propter Christum, sicut quisque potest, sic etiam debet credere, se esse in gratia Dei: Cùm nemo in Christo esse possit, qui non sit in gratia apud Deum: qui enim habet Filium, habet & Patrem: Et fides in Christum consistere nequit, si quis de gratia & fauore erga se Dei propter Christum, dubitet, cum ea sit ὑπόστασις eorum, quae sperantur, & ἔλεγχος rerum non apperentium: Neque enim vera fides in aliud respicit, quam in Christum, in quo tum promissiones Dei suum habent Amen & etiam, tum eiusdem Dei potentia sese exeruit, & perpetuò exerit, Ephes. 1. Neque certè alia fuit Abrahae patris credentium fides, qui credidit in spem, contra spem, & qui non haesitauit diffidentiâ, sed robustus factus est fide, quod qui promiserat, potens esset ei & praestare: Sed neque quis Christi esse dici potest, & in Christum credere, qui non habeat Spiritum Christi: Spiritus autem Christi reddit testimonium spiritui nostro, quòd simus filij Dei [Rom. 8.]: Et in hoc cognoscimus (inquit Iohannes) nos in eo manere, & ipsum in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis [1. Ioh. 4.]: Denique in hunc finem Apostolus ait, Gratia estis seruati, & non ex operibus, vt credamus certò rem ita se habere, & propter Christum, cuius fidem profiteamur, ne de gratia Dei erga nos dubitemus.

LOCVS QVARTVS EX Secundo cap. Ephes.

De bonis Operibus, ac meritis.

De bonis operibus capita septem ex Apostoli contextu collegimus obseruanda: Nunc, licet non eodem ordine, quo fuerunt indicata, omnia tamen, sed methodo ad docendum accomodata, certis thesibus explicanda, comprehendendaque nobis sunt: Ac primùm de voce bonorum operum, & de voce meriti.

1. Nomine bonorum operum licet vulgò externa tantùm fidei effecta, charitatisque officia intelligantur, Nos tamen secundum scripturas, primum actiones omnes tam internas mentis ac voluntatis, quam externas corporis, operum nomine complectimur: quando etiam ipsum credere, Christus vocat opus [Ioh. 6.29.]: Et Lex Dei, quae Lex factorum ad Roman. vocatur, non solùm externa facta, sed etiam internas operationes mandat: Et quisque iudicandus esse dicitur in sacris literis, secundum opera sua: iudicandi autem sunt non tam secundum externa facta, quam secundum animi & voluntatis actiones: Deinde non omnia generatim hominum opera, quae ipsi iudicant bona, Bona opera in sacris literis vocantur: Sed ea tantùm, quae ex Dei fiunt, voluntate in sacris literis reuelata. Ac proinde quae ipse praeparat, & operatur in nobis per Spiritum suum (Ephes. 2. vers. 10.) eoque ex fide fiunt Iesu Christi, quando quod non est ex fide, peccatum est: Rom. 14.

2. Nomine autem meriti (quae tamen vox nusquam in sacris literis reperitur, locus enim Eccles. 16. ver. 14. & Hebr. 13. 16. nihil ad rem faciunt) nomine inquam meriti, propriè intelligitur opus non debitum, cui merces valore suo, operis valorem non multum superans, debeatur (tria enim in merito propriè accepto, necessario requiruntur, Primò, vt opus sit non debitum, Secundò, vt merces sit debita, Tertiò, vt aequalitas sit inter vtriusque valorem) impropriè vero omne opus, licet debitum, cui merces non debita, & saepè etiam valorem operis suo valore longissimè superans, promissa est, hoc nomine significatur, tum in communi, vulgarique loquendi consuetudine, tum etiam apud Patres, cum de mercede operibus nostris a Deo promissa, sermonem habent. Nihil enim a nobis fieri posse boni senserunt, quod Deo non debeamus ratione creationis, gubernationis, redemptionis: quicquid verò promittit & promissum praestat. id ex ipsius liberalitate & misericordia promitti atque praestari, non

autem ex debito: nullam verò esse aequalitatem inter opera nostra, & quam Deus dat mercedem, ad aeternam salutem, quam tamen aequalitatem inter mercedem & meritum, omninò esse oporteat: vt etiam Thom. 3. part. quaest. 49. articul. 6. ait: Addunt, quae nos facimus opera bona, dona potius Dei esse, quam opera nostra, Vnde illud Augustini, Deus cum remunerat opera nostra, coronat dona sua: Item, Dona sua coronat Deus, non merita tua: Ac proinde damnarunt haereseos, quicunque dicerent, gratiam Dei, secundum merita nostra dari: Vnde liquet, quoties sancti Patres nomen meriti vsurparunt, eos improprie illud accepisse, nempe pro opere debito, nullam cum mercede promissa aequalitatem, aut comparisonem habente, cui tamen merces indebita, misericorditer à Deo reddatur. Qua de re praeter alios legatur Augustinus, Tom. 1. Retract. libr. 2. cap. 31. Item Tomo 2. Epistola 105. ad Xistum Presbyterum: Item Epistola 106. ad Bonifacium. Item 146. ad Valentinum: Tom. 8. in Psalm. 144. Item Tom. 7. de libr. arbitr. libr. 3. cap. 16. Item de gratia & libr. arbitr. cap. 6. Tom. 3. in Enchirid. cap. 30. & passim hoc contra Pelagian. facit Augustinus. Ambrosius Tom de Cain & Abel, cap. 7. Hieron. in Ies. cap. 64. Et illud tritum D. Bernardi, in Cant. sermon. 17. sufficit ad meritum scire, quòd non sufficiat meritum: Et illud, merita habere cures, habita data noueris, fructum speraueris Dei misericordiam. [page 174] Quin etiam Thomas Aquinas in eandem ferè sententiam scripsit.

His explicatis reliqua facile expediunt

3. Bonorum operum caussa efficiens proxima & immediata, sunt ipsi homines renati & iusti: Nos enim sumus qui volumus, qui credimus, qui operamur bona: Et in hunc finem regeneramur, & iustificamur, vt scilicet ambulemus in bonis operibus: Ephes. 2. versu 10. *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu, ad opera bona.* Excluduntur ergo impij, & quicunque in Christo non sunt facti noua creatura. Hi enim cùm sint arbores malae, non possunt bonos fructus facere: Sed omnia ipsorum opera, mala sunt & peccata: Iohan. 3. 19. Roman. 14. 29. Sunt item mortui in peccatis nil igitur boni, & ad vitam spiritualem pertinens, praestare possunt. Ideo rectè Augustinus; opera bona non praecedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum. Ex quibus etiam sequitur, impiam esse doctrinam eorum, qui docent opera quadam ante iustificationem praestari posse, quibus sese ad iustificationem praeparare homines possint, Deumque flectere, vt oculos suae misericordiae ad ipsos conuertat, & donata fide iustificet. Quid enim potest homo mortuus ad sui

viuificationem? Peccatis verò Deus non flectitur ad misericordiam, sed ad iram prouocatur. Sunt autem peccata, omnia impiorum opera: non sua natura, & quatenus opera sunt, sed quia ex animo impuro, & sine fide fiunt, pugnancia cum lege Dei. Eoque meritum de congruo euertitur. Neque enim congruum est, vt Deus peccatis nostris flectatur ad nos seruandos, sed potius ad perdendos: flectitur autem à sua misericordia. Atque haec Thesis respondet inprimis cap. 2. quod de operibus in verbis Apostoli obseruauimus, Aquibusnam fiant bona opera. Respondet deinde primo capiti, per doctrinam gratiae & Fidei, non tolli, neque extenuari bona opera: quoniam ad hoc per fidem viuificamur, regeneramur, & iustificamur, vt possimus opera vitae, id est, opera bona praestare, & in eis ambulare. Quo illud Apostoli pertinet, *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, imò stabilimus* [Rom. 3.].

4. Bonorum operum caussa efficiens remota, sed tamen principalis, est Deus. Is enim est qui primò nos regenerat, nouasque facit creaturas, & Arbores bonas, vt possimus bona facere opera: qui secundo praeparat in nobis bona opera, eaque in nobis per Spirituum sanctum operatur, dum efficit vt velimus, & vt perficiamus [Phil. 2.]: Et qui denique ait per Prophetam, *Faciam, vt ambuletis in praeceptis meis*: Item de quo Moses, *Dominus circumcidit cor tuum, vt diligas Dominum Deum tuum, &c.* [Deut. 30.6.]. Atque haec thesis ad caput primum de operibus antea propositum pertinet: Vndenam sit nobis facultas bona opera faciendi: ab eo scilicet, à quo fimus nouae creaturae.

Unde etiam dogma de meritis operum refellitur: quando quae agimus bona, dona potius Dei sunt, quam opera nostra: vt nemo habeat quòd de suis gloriatur operibus: *Quid enim habes* (inquit Apostolus) *quod non acceperis? Si autem accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?*

5. Materialis caussa, sunt ipsa nostra cogitata, dicta, & facta, quae Deus in sua lege mandauit. Actiones enim à Deo non mandata vel expressè, vel tacitè, sed ab hominibus tantum excogitatae, veluti sunt ἐθελοθρησκείαι, vt ut optima ea facias (vt loquuntur) intentione, materia tamen nunquam bonorum operum dici, fieriue poterunt: quò pertinet, quòd ait, Deuter. 6 & 12. *Non facias quod tibi videtur bonum in oculis tuis, sed quod ego praecipio tibi*: Quo & illud Christi ex Matth. 15. cap. Iesariae cap. 29. competit, *Frustrà colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. Semper videndum, an quod proponitur opus, mandatum sit a Deo, nec ne. Duo enim mandat

Dominus in lege, opus ipsum, cogitatum, dictum vel factum: & modum, quo fieri opus debeat, nempe ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta, eoque ex vera charitate Dei & proximi, 1. Timot. 1. Ex his autem duobus, ex opere scilicet ipso, & ex modo, hoc est, ex vera pietate, quo illud fieri debet: tanquam ex materia & forma, constat opus bonum.

6. Formalis igitur caussa, qua fit, vt opera nostra, verè dici & esse bona queant, est ipsa congruentia, id est, perfecta pietas, quam habere debent cum lege Dei: Ita vt omni ex parte, & quò ad materiam operum, & quò ad modum, quo fieri debent, sint penitus conformia legi Dei. Sicut enim peccatum, est cogitatum, vel dictum, vel factum contra legem Dei: sic opus bonum, est cogitatum, dictum, vel factum cum lege Dei plane consentaneum: Ac sicut in peccato opus ipsum, locum habet materiae, & subiecti in quo, Ari autem ipsa, formalis est ratio peccati, sic contingit etiam bonis operibus: Quare congruentia cum voluntate Dei in lege reuelata, est id, quo opus verè bonum dici possit. Quia verò cum lege Dei nunquam perfectè congruunt opera nostra, dum sumus in hac carne, etiamsi Deus illa in nobis praeparet & operetur, idque vitio carnis nostrae, qua omnia, Dei dona in nos collata inficiuntur; idcirco tegantur vestianturque perfecta illa congruentia, quam habuit obedientia Christi, necesse est: ita vt quod in nobis consentaneum non est cum lege Dei, fiat congruentissimum in Christo, cui insiti sumus: Hoc vero fit fide, qua iustitiam Christi tanquam nostram apprehendentes, credimus propter Christum, & nos, & opera nostra Deo esse acceptissima [page 175] atque gratissima: Ita perfecta tandem forma, qua nostra opera verè fiunt bona, & Deo grata, est ipsa Christi obedientia, per fidem apprehensa, Quò pertinet quod Apostolus ait, Roman. 5. non, διὰ τὴν ὑπακοὴν, sed διὰ τῆς ὑπακοῆς, per obedientiam Christi, nos constitutos esse iustos. Per eandem enim obedientiam fide apprehensam, nostra quoque opera verè fiunt iusta & bona in conspectu Dei, tecta ipsorum ἀνομία in Christo. Quò & illud Apostoli refertur, 1. Corinh. 1. Christus nostra est iustitia: & illud ad Philipp. 3. 9. *vt inueniar in illo habens non meam iustitiam, sed iustitiam quae est ex fide Iesu Christi.*

Ad has duas theses, quintam & sextam, pertinet caput de operibus quartum: in quonam sint vere bona, Deoque grata nostra opera, nempe in CHRISTO: Et sextum caput, quatenam sint bona opera, quae scilicet ex voluntate Dei, & per ipsius Spiritum in nobis fiunt.

7. Fines bonorum operum praecipui tres sunt: *Primus*, Gloria Dei, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent, Patrem vestrum, qui in coelis est.* *Alter*, commodum & salus proximi, Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum, id est, simus benefici erga omnes, maximè autem erga domesticos fidei. nostris enim beneficiis, bonisque operibus, & exemplo sanctae vitae, promouetur salus proximi. 1. Corinth. 7. v. 16. ait, Saepe virum infidelem, per vxorem fidelem seruari, nempe exemplo vitae & pietatis. *Tertius*, nostram spectat salutem: Is autem primùm, non est, ut per opera iustificemur: sunt enim effecta iustificationis, non igitur caussae: & fiunt, à iustificatis, non igitur faciunt iustos. Et Apostolus passim docet, iustificari hominem gratia Dei per fidem, non autem ex operibus: & semper gratuita est iustificatio, sicut & electio, & vocatio, non igitur ex operibus esse potest: Proinde finis bonorum operum, non est ut per illa iustificeris. Neque etiam est, ut per illa tibi vitam aeternam promerearis: Si enim hoc animo opereris, Primò teipsum fallis, Deinde grauiter peccas, fallis teipsum: quum fieri nullo modo possit, ut quis suis operibus vitam aeternam sibi promereatur, quando opera sunt debita, merces verò illa indebita, nullaque sit inter opera nostra, & vitam aeternam aequalitas, aut proportio: & Apostolus ait Roman. 6. *Gratia Dei vita aeterna:* Et iterum, *Non sunt condignae passionibus huius vitae ad futuram gloriam, &c.* [Rom. 8.]. Peccas verò grauiter primum, contra praeceptum Christi, qui iubet, etiamsi faceremus omnia Dei mandata, tamen agnoscamus nos esse seruos inutiles, id est, nihil promeruisse, propterea quòd fecerimus, quod debueramus facere [Luc. 17.]: quantò magis hoc sentire debemus, cum non faciamus quod debemus facere. Deinde peccas in gratiam Dei, illamque euacuas, irritamque facis, tua de meritis opinione: Roman. 11. *Si enim ex operibus, non igitur ex Gratia.* Peccas item in sanguinem & merita Christi, quasi is non fuerit sufficiens, ad totam salutem tibi comparandam: Quare nullo modo finis bonorum operum esse potest aut debet, ut per illa tanquam per merita vel iustificeris, vel vitam aeternam tibi acquiras & promerearis. Sed finis est, quem Apostolus indicat, ut scilicet in eis ambulantes, tandem per ea, tanquam per viam legitimam, in aeternae vitae possessionem perducamur ex misericordia Dei & propter solius Christi meritum. Studio enim bonorum operum bona retinetur conscientia: bona autem conscientia, retinetur fides: Fide autem Christus: In Christo verò vita aeterna [1. Tim. 1.]: ad quam nos Deus gratis elegit, & quam Christus suo sanguine nobis

comparauit, ac proinde quae nobis debetur ex gratia Dei, & propter merita solius Iesu Christi: cui gloria, &c.

[page 176]

LOCVS QVINTVS,
EX CAP. 2. AD EPHES.
versu 14. & 15.

De Legis Mosaicae abrogatione.

Legem Dei, per Mosen populo Israëli traditam in monte Sina, per Christum abrogatam fuisse in monte Sion, extra controuersiam est, apud Christianos: sed cùm tres sint legis illius partes, Moralis, ceremonialis, & iudicialis seu politica; Totane cum omnibus suis partibus abrogata sit, an partim abrogata, partim non abrogata, hoc demum vertitur in controuersiam: pro vtraque sententia subdam testimonia sacrarum literarum, quae in specie pugnare videntur. Haec igitur esto prima thesis, pro priori sententia.

1. Tota Lex per Mosen tradita, per Christum abrogata esse omninò videtur. Testimonia. Ierem. 31.v. 31. Totam abrogandam fuisse docet Dominus: *Ecce dies veniunt, dicit Iehoua, & feriam cum domo Israëli, & cum domo Iehuda foedus nouum: non secundum foedus quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos è terra Aegypti; quia ipsi irritum fecerunt pactum meum, & ego dominatus sum eis, vel (vt quidam vertunt) & ego neglexi eos: dicit Iehoua: Sed istud est foedus quod feriam cum domo Israëli, post dies ipsos dixit Iehoua: Dabo legem meam in medio eorum, & in corda eorum describam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Manifestum est, Deum hic loqui de tota lege, cùm ait, Patres ex Aegypto eductos irritum fecisse pactum suum: *Primùm enim, quid transgressi sunt Israëlitae? annon legem cumprimis moralem, id est, Decalogum?* At inquis (ait) בריתי, pactum seu foedus meum, irritum fecerunt. Resp. Sed nomine ברית legem ipsam intelligendam esse constat, quia in monte Sina non aliter pepigit foedus cum populo, quam per legem: Unde & tabulae illae, in quibus exarata erat lex Decalogi, tabulae foederis saepè nominantur in sacris literis. *Deinde* Apostolus manifestus est interpret Galat. 4. Vbi quod prius nominauerat legem, versu 21. postea vocat foedus, seu pactionem, seu (vt vulgata habet versio) testamentum, versu 24. (Tertiò) ipse

Iehoua, quod de nouo foedere dixerat, (& feriam pactum nouum,) postea explicationis gratia, vocauit legem, dicens, (scribam legem meam in cordibus eorum:) Allusit enim ad legem scriptam in tabulis, quia haec est antithesis, quam ibi docet Propheta, inter vetus & nouum foedus, quòd illud in tabulis lapideis scriptum fuerat, hoc autem in tabulis cordis carnalibus scribendum erat. In tabulis autem lapideis scripta fuit lex, & quidem Decalogus, quae & lex literae a Paulo appellatur: Sicut contra in cordibus nostris scripta est Lex Spiritus vitae [Rom. 7.]. Totam igitur legem in monte Sina traditam, abrogatam fuisse docet Propheta, idque noua lege subintroduta. *Quartò*, caussa cur nouum promiserit foedus, idem concludit: quia scilicet (vt ait Dominus per Prophetam) primum foedus irritum fecerunt: nempe legem: Idcirco per Jesa. quoque & per alios Prophetas nouam legem promisit, eamque ex Sion, Iesa. 2. *Lex egredietur de Zion, & verbum Domini de Ierusalem*: Haec opponitur illi, quae de Sina data est populo.

Si Lex illa prior debuisset semper manere, non fuisset opus nouae legis promissione: nouae igitur promissio, totius veteris abrogationem praedicebat: Quare iis omnibus concluditur, nomine בריית apud Ierem. quod abrogandum praedixit Dominus, & nouum illi successurum, ipsam legem Mosis totam intelligendam fuisse.

2. Secundum, Psal. 110. nouus sacerdos, qui & Rex futurus esset, promissus fuit: is est Christus. Ad Hebr. autem 7. ait Apostolus, translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. Vt igitur totum illud Leuiticum sacerdotium abrogandum erat per nouum, quod futurum erat secundum ordinem Melchisedech: sic etiam euincitur, totam illam veterem legem, quae sub illo veteri sacerdotio lata fuit, & vixit, abrogandam fuisse.

3. Tertium, Si etiam nouus rex futurus erat, nempe Christus: noua etiam lege opus fuit, ne Rex veniret, sine lege: atque hoc confirmant testimonia omnia, quae apud Prophetas, de nouo regno, nouoque Rege CHRISTO loquuntur. Moses igitur cum tota sua lege cedere debebat huic Regi, nouaeque eius legi: sic & Aaron cum suo sacerdotio, huic nouo sacerdoti.

4. Quartum, Habr. 7. de hac abrogatione disserit: Et quidem caussam abrogationis affert, dicens: *Mandatum praecedens abrogatur, propter imbecillitatem eius & inutilitatem*: id est, quia nullam vim habuit sacrificandi

& iustificandi homines, sui cultores: Atqui neque lex Decalogi, hanc habuit vim: sed ministra potius fuit mortis, irae, peccati: Tota igitur erat lex per Christum abroganda [Rom. 3.5.7.]. Et certè de lege morali in primis loquebatur Apostolus in Epistola ad Roman. & ad Galat. in Actis, & vbique, cum demonstrabat, per legem neminem iustificari posse: quod infirmaretur per carnem, vt Roman. 8. loquitur Apostolus: sed quod per illam tantum habeatur cognitio peccati. Si igitur ratio valet ad Hebr. 7. praecedens mandatum abrogatum esse propter impotentiam ejus, [page 177] euincitur totam legem abrogatam esse id quod locis aliquot alijs Apostoli planum fieri potest.

5. Roman. 6. ait, *peccabimus ergo, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit, &c.* de lege autem decalogi, qua prohibentur mala, & peccata, loquitur Apostolus, cui opponit gratiam, Sicut & Iohan. 1. *Lex per Mosendatur, Gratia & veritas per Iesum Christum extitit.* Cum igitur dicat, nos non esse sub lege: Totam abrogandam esse docet.

6. Sed quid clarius loco cap. 7. ad Roman. à simili Viri & mulieris, concludit, nos quia sumus mortui cum Christo, liberatos esse a lege: à qua leges? explicat, dicens: Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Imò peccatum non cognoui, nisi per legem. Concupiscentiam enim nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, *Non concupisces*: Vbi autem & hoc praeceptum, nisi in Decalogo?

7. Clarum testimonium extat 2. Cor. 3. de lege, quam Moses in tabulis lapideis descriptam a Deo, attulit ad populum, manifestissime loquitur, quam etiam vocat literam occidentem, & ministerium mortis & condemnationis. De hac autem sic loquitur, veri 9. *Quod si ministerium condemnationis fuit gloriosum: multò magis ministerium spiritus erit in gloria:* & mox, vers. 11. *Quòd si quod abolendum erat, fuit gloriosum: multo magis gloriosum id quod manet,* Quid hoc loco clarius, quam de abolitione Decalogi loqui Apostolum?

8. Galat. 3. vers. 19. Ego per legem, legi mortuus sum: mortuum autem te esse legi, est legem tibi esse abrogatam: teque à lege liberatum; Sic vxor mortua, liberata est à lege viri, De lege autem tota, etiam decalogi manifestè loquitur: quia per hanc non posse hominem iustificari, contendit Apostolus.

9. Galat. 3. 19. postquam euicit, legem non potuisse facere irritam promissionem, Abrahæ & semini eius, 4.30. annis ante factam, de iustitia scilicet per solam fidem, subdit: *Quid igitur Lex? propter transgressionem addita est*, (num vt maneat in perpetuum? non ideo ait) *vsque dum veniret semen illud, cui facta est promissio, &c.* Ergo etiam decalogus vsque ad Christum tantum manere debuit.

10. Item ibidem: vers. 24. de tota lege concludi, idicens: *Itaque lex paedagogus noster fuit in Christum: vt ex fide iustificemur.* At postquam venit fides, iam non sumus amplius sub pedagogo. Quid clarius?

11. Idem planè concludit in cap. 4. Simili infantis, qui sub tutoribus & curatoribus est, non semper, sed vsque ad præfinitum tempus à patre, tum enim liberatur a pedagogo, & a curatoribus. Ideo de Christo liberatore subdit; *Christum factum esse obnoxium legi: vt eos, qui sub lege erant, redimeret: nempe à lege a qua lege? ab illa sub qua illi erant captini: & cui ipse Christus factus est obnoxius, fuit autem obnoxius toti legi: Idem confirmat simili duorum filiorum Abrahæ, & duarum matrum, vt notum est.*

12. Denique 1. Timoth. 1. 9. *Lex iusto posita non est, sed iniustis, &c.* Ergo ijsqui iustificati sunt in Christo, per Christum abrogata est lex, quæ in tabulis erat conscripta: & qua prohibentur peccata. Cum hoc dicto congruit illud, Roman. 8. 2. *Lex Spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis.* Et illud 2. Corinth. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et illud Galat. 5. 18. *Quod si Spiritu ducimini: non estis sub lege.* Ergo omnibus illis, qui Spiritum Christi habent, & ab eo ducuntur: tota lex, etiam Decalogi abrogata est. Summa hoc argumento continetur.

Illa Lex abrogata est per Christum, quæ litera tantum est vrgens & imperans, quæ quibus imperat, non potest vires præstare ad sui obseruationem, quæ non potest iustificare, quæ peccatum magis prouocat & auget, quæ est virius peccati, quæ iram operatur, quæ occidit, quæ homines maledictioni obnoxios reddit, quæ denique pedagogus tantum fuit vsque ad Christum, id est, donec veniret semen: Et quidem illis abrogata est, qui iustificati sunt in Christo, qui Spiritu ducuntur, qui sunt sub gratia. Atqui talis fuit, & est tota Lex Mosis. Vtraque propositio ex dictis Apostoli colligitur, quæ nunc

attulimus. Ergo tota abrogata est per Christum illis, qui sunt membra Christi & eius Spiritu ducuntur.

Sed contra etiam non desunt loca, quibus contrarium confirmari videtur. Ergo thesis altera haec est.

2. Nequaquam tota Lex per Mosen tradita, per Christum abrogata esse videtur. Matt. 5. *Ne cogitetis, quòd ego venerim, vt dissoluam legem aut Prophetas: non veni vt dissoluam, sed vt impleam.* Impleuit autem Christus, Primùm explicatione, veram eius intelligentiam praebens: Deinde perfectissima obedientia, quia totum seruauit, vnde ad Iohannem ait: *Sic oportet nos implere omnem iustitiam* [Matt. 3.]: Tertiò, donando Spiritum suis Electis, qui eam etiam hic seruent, quanquam imperfecte, perfectissimè eam impleturi in coelo.

Rom. 3. versu vltimo, *Legem ergo destruimus, καταργοῦμεν*, inanem reddimus, abrogamus. per fidem? *Absit: imò stabilimus.*

Et ratio affertur, quia Lex Dei iusta, sancta, & bona est: ac proinde nil habuit, propter quod abroganda esse videretur.

3. Caeterùm licet haec inter se pugnare videantur, nempe legem abrogatam esse, & non abrogatam: vtrumque tamen diuersis respectibus, verum est. Hoc, diligenter expensis tum illis, quibus data, & quibus non data lex per Moosen fuit, tum caussis abrogationis, tum varijs nominis legis significationibus, [page 178] tum denique verbis, quibus abrogatio legis in sacris scripturis significatur: perspicuum cuius fieri potest. Ex ijs enim circumstantijs, atque capitibus, quaestionis huius explicatio pendet.

4. Illud itaque cum primis constat, legem etiam moralem, quatenus per Mosen data fuit populo Israëlitico, sicut ad Gentes nihil pertinuit, sic neque rectè dici posse, abrogatam esse gentibus. Ratio, neque enim liberantur a lege, nisi qui sub lege sunt: Galat. 4. 6. vt eos qui sub lege erant, redimeret. Gentes autem tam sub lege Mosis non fuerunt, quam Romani sub legibus Lacedaemoniorum vel Atheniensium: quanquam non absimiles multas leges habuerunt Romani, legibus Lycurgi atque Solonis. quò pertinet quod ait Apostolus de gentibus, *Qui sine lege (Mosis) peccauerunt, sine lege (Mosis)*

peribunt [Rom. 2. 12.]. Neque enim cum peccabant gentes, in legem Mosis propriè peccabant: Sed in legem aliam, Decalogo tamen Mosis non dissimilem, nempè in legem naturae, omnium animis inscriptam, peccasse dicuntur, Sicut etiam contra, cùm faciebant quae iusta sunt, non legi Mosis, sed legi naturae obedisse dicendi sunt: qua de re idem Apostolus, ad Roman. *Nam cùm gentes, quae legem non habent (Mosis) natura quae legis sunt, faciunt: Illi legem non habentes, sibi ipsis sunt Lex* [Rom. 2. 14.].

5. Neque verò putandum aut dicendum est, gentes, quae ante conuersionem sub lege Mosis non fuerunt: post conuersionem fuisse per Christum factas legi Mosis obnoxias. Cum enim Christus liberarit Iudaeos a lege: quomodo gentes ei subiecisse dici potest? Atque hoc est, quod contendebant Apostoli Actor. 15. & alibi in Actis, & Paulus vbique, gentibus non esse imponendum hoc iugum, quod neque ipsi, neque Patres ipsorum portare potuerunt. Quare constat in genere, gentiles sicut nunquam, sic neque nunc legi Mosis esse subiectos: quanquam neque ab illa liberati fuisse proprie dicendi sunt, cui nunquam fuerunt subiecti.

6. Cùm verò Israëlitis propriè per Mosendata fuerit lex, ij autem duplicis sint generis, alij qui ad Christum conuersi sunt, alij qui in sua adhuc infidelitate persistunt: de prioribus nulla est controuersia, quin liberati sint à lege Mosis per Christum: De ijs enim est illud Apostoli Galat. 4. vt eos qui sub lege erant, redimeret: Et vaticinium Ierem. 31. Et alia fermè omnia, quae ad priorem thesin allata sunt testimonia: atque hoc, vt dixi, in genere.

7. De posterioris verò generis Israëlitis, sicut verè dici non potest, eos liberatos esse per Christum a lege, cum nondum sint sub gratia, neque regantur a Spiritu Dei, Apostolus autem doceat, eos Iudaeos qui nondum sunt sub gratia; & qui non ducuntur Spiritu Dei, esse adhuc sub lege, Roman. 6. 14. Et Galat. 5. 18. Sic contra quodam modo dici potest, quemadmodum exclusi sunt à gratia, sic etiam exclusos esse à lege, vt nec Mosaici sint, nec Christiani, nec sub gratia, nec sub lege. Lex enim Mosis finem accepit in Christo, Roman. 10. *Finis legis est Christus: Et lex & Prophetae vsque ad Iohannem*. In huius rei testimonium, Deus noluit eos amplius habere sacerdotium, & quae ad illud pertinebant, sacrificia ac ceremonias, vt ostenderet eos esse à se reiectos: sed neque habent magistratum, eoque nec politicas illas leges. Translato enim sacerdotio, adde & magistratu, necesse

est vt & legis translatio fiat. Ita miseri Iudaei & a legibus cultus diuini, & à legibus politicis reipsa exclusi sunt: vt quòd nunc etiam se circumcidant, & lunaria quadam seruent, & sabbatha, magis peccent in Deum, quam secundum legem Dei faciant, cum Christum aduenisse, ijs vanissimis ceremonijs, & contra legem vsurpatis, pertinacissimè pernegent. Sed neque lex Decalogi, quatenus per Mosen fuit lata, ad eos pertinet: quando Moses cum tota sua lege cessit Christo ipsi verò facti sunt, sicut gentiles, לֹא עַמִּי [not my people], ut Osea 1[:9]. ait Dominus. Neque tamen hinc sequitur, eos cùm admittunt homicidia, adulteria, furta, non peccare: quum in legem naturae, omnium hominum animis inscriptam, peccent.

8. Omnibus porrò tam ex Iudaeis, quàm ex gentibus, fidem in Christum profuentibus, eatenus tota lex Mosaica dicitur verè abrogata esse: quatenus horum neminem voluit Christus illi legi, sed suae duntaxat esse obnoxium: quae est lex gratiae, ad dilectionem Dei & proximi, & ad nostri mortificationem, vitaeque sanctitatem contracta, & cum gratuita peccatorum remissione coniuncta. Stat enim Pauli sententia de tota lege Mosis, & de lege Christi, cui illa cedere debuit, in 2. Corinth. 3. *Si quod abolendum erat, fuit gloriosum: multò magis quod manet, gloriosum est.* Vna igitur abolenda fuit omnibus ijs, qui in regno Christi futuri erant: Et altera in sempiternum firmanda.

9. Nam quòd Christus quadam tradidit praecepta, quae etiam ante huius aduentum, Moses tradiderat, vt quae sunt de dilectione Dei, & proximi, & ijs annexa: non inde tamen sequitur, nos Christianos legi Mosis per Christum subditos fuisse Talibus enim praeceptis non tenemur tanquam per Mosen traditis, sed tanquam per Christum in sua Ecclesia institutis, ac confirmatis: ablata illa Mosis maledictione, *Male dictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro hoc:* addita verò remissione omnium peccatorum, in quae, inter obediendum, incurrimus, alioqui va novae nobis, [page 179] si legi Mosis vel morali, nos subiecisset Christus, prout per Mosen data fuit, maledictioni quoque illius essemus subiecti. Quae igitur seruare tenemur praecepta, ea non Mosis, sed Christi mandata sunt: Et ita Christus vocat. mandata sua: Iohan. 14. *Mandata mea seruate:* Et Iohan. 13. 34. *Hoc est praeceptum meum: Et mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, &c.*

10. Caeterùm cum illi, qui fidem Christi in Ecclesia profitentur, dum sint generum, alij verè iusti, & qui verè a Spiritu Dei ducuntur, alij non ita: fit etiam, vt non aequaliter vtrique sub lege esse negentur. Etsi enim vtrisque abrogata est Lex Mosis, quatenus per Mosen data est: quia tamen iusti, quae legis sunt, faciunt spontè, & ex animo, hypocrita autem non ita: Idcirco illis negat Apostolus esse positam legem, istis autem affirmat, 1. Timoth. 1. & vnos ideo negat esse sub lege, quia Spiritu Dei ducuntur, innuens a contrario, reliquos adhuc sub lege esse, quia Spiritu Dei non ducuntur Galat. 5.

Ita à variis hominum generibus, quomodo Lex per Moosen tradita, per Christum tota abrogata sit, & non sit, non obscure intelligi definirique potest. Non parum etiam lucis, a caussis, propter quas abroganda erat, ad praecedentis quaestionis explicationem accedit. Repetam praecipuas à sacris literis: Thesis igitur vndecima haec esto.

11. Septem praecipuae sunt caussae, propter quas, legem per Mosen traditam abrogari oportuit: Ac proinde ex quibus, quatenus etiam abrogata sit, & quatenus non sit, intelligi potest.

1. *Prima* à vocatione gentium, sumitur: nimirum, quia gentilis populus cum Israelitico in vnum corpus consociandus erat, & in vnum nouum hominem condendus. Hanc tradit Apostolus ad Ephes. 2. versu 14. & 15. Vt enim coniungi posset gentilis cum Israelitico, in vnum populum, atque adeò in vnum corpus: sicut deserenda erant idola, omnesque superstitiosi cultus ipsis gentibus: Sic tollendae erant Israëlitis tot tantaeque caeremoniae & ritus, cùm in multis rebus politicis, tum maximè in religione, quos ritus, Apostolus vocat intergerinum parietem, quo à consortio cum Israëlitis arcebantur gentiles, & vicissim à communionem cum gentibus cohibebantur Israëlite. Simpliciter ergo propter hanc consociationem sublatae fuerunt per Christum leges cumprimis de ritibus & caeremoniis: & deinde etiam politicae, quatenus has liberas esse voluit, vt omnes in vna Republ. sub iisdem legibus esse ac viuere possent. Moralis, ad substantiam quod attinet operum, illa lege mandatorum, consociationem hanc cum Israelitis impedire non poterat: quoniam gentiles etiam opus legis (vt ait Apostolus) scriptum habebant in cordibus suis, adde etiam in libris suis. Proinde hac in parte, consociationis gratia, vt abrogaretur, necesse non habuit: Vnde nec abrogata sunt opera lege morali comprehensa. At verò vt in vnum nouum hominem ambo crearentur

sub vno capite Christo: moralis quoque tollenda fuit, si non quoad substantiam rerum mandatarum, saltem quò ad maledictionem: ita vt sicut non poterat, sui studiosos instificare, sic neque posset credentes in Christum condemnare: qua de re ad Galat. 3. Redemit nos à maledicto legis, factus pro nobis maledictio, vel execratio: Et Roman. 8. nihil iam damnationis, &c.

Tollenda quoque fuit lex moralis, quatenus per Mosen tradita fuerat: vt nemo Mosi, sed omnes vni Christo subijcerentur: quae caussa est, cur Christus mandata de dilectione, deque bonis moribus, non Mosis, sed sua vocare solitus sit mandata. Per quem enim redempti & regenerati sumus: huic etiam obedientiam debemus, non Mosi. Ad summam, concorpores fieri non poterant in vno Christo illi duo populi, nisi intergerinus iste paries, sicuti explicauimus, dirueretur, & quod vnionem impediabat, tolleretur.

2. *Altera* caussa ex Actorum cap. 15. sumitur. Ea est, quia fuit iugum intolerabile Iudaeis ipsis: non igitur vtile gentibus. *Vt quid tentatis Deum, vt imponat iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri* (dicebat Petrus) *neque nos portare potuimus?* De circumcisione immediatè quidem loquebatur: Sed sub hac, tota lex comprehendebatur, sicut Paulus interpres est ad Galat. 5. versu 3. *Testor omni homini, qui circumciditur, quòd debitor est totius legis faciendae.* Quam graue iugum fuerit ceremonialis, simul cum politica, nemini, qui libros Mosis legerit, dubium est: Sed moralis quoque, si totam simul, vt volebat seruari, & cum maledictionibus in sui transgressores, accipias, iugum fuit intolerabile: concludens omnia sub peccato, & sub maledictione. Christus autem venit vt tam graui iugo populum suum liberet, & iugum leue imponeret, de quo Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue:* Et de eius mandatis ait Ioh. *Mandata eius graui non sunt* [1. Ioh. 5.]. Abroganda igitur fuit illa innumerabilium mandatorum, tum politicorum, tum ceremonialium multitudo: Atque à lege etiam morali tollendum fuit, quòd eam grauissimam, intolerabilemque reddebat: hoc verò fuit maledictio, nisi quis legem illam totam, & semper, & perfectissimè cum suis appendicibus, ceremoniali & politica obseruasset. Fecit autem hoc Christus, dum et innumerabilia praecepta, ad paucissima contraxit, [page 180] & exactam ac rigidam obligationem, eoque & maledictionem sustulit: ac spiritum, quo pauca etiam haec praecepta seruare possimus, communicauit. Caussa haec secunda docet, quatenus etiam Decalogus sit abrogatus.

3. Hinc *tertia* sequitur caussa, quae fuit, ne in tantum numerum excrescerent iniquitates, & peccata: eoque & maledictiones contra nos multiplicarentur. Vbi enim multa mandata, ibi multae transgressiones, eoque & maledictiones. *Vbi non est Lex*, ait Paulus ad Roman, *ibi nec transgressio*. Inde fiebat vt innumerabilibus peccatis semper impliciti essent Israelitae, propter innumerabilia, & ipsis intolerabilia mandata, quae quotidie transgrediebantur; vt non immerito dixerit Paulus, *Legem, peccati ministram fuisse*; quamuis per accidens. Christus autem venit, vt tolleret peccata, non auferet, nec per se, nec per accidens: & vt faceret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Eatenus ergo abrogauit legem, quatenus illa occasio erat multarum transgressionum: sublata tanta multitudine mandatorum: donato autem Spiritu, quo pauca illa, quae nobis reliquit, seruare possimus: addita verò earum etiam transgressionum, quas ex infirmitate carnis admittimus, condonatione,

4. Sumitur *quarta* caussa ex Epistol. ad Hebr. cap. 9. Haec ritus propriè, & ceremonias. inspicit. Fuerunt caeremoniae illae omnes, vmbrae rerum futurarum, quas Christus praestiturus erat, & typi ipsius Christi: ac proinde vsque ad Christum duntaxat permanere debebant: Vnde & Apostolus ibi vers. 10. vsque ad tempus (inquit) correctionis fuerunt imposita. Penitus ergo per Christum tolli debuerunt, & ita sublata sunt illa omnia. Cum hac quarta caussa coniungitur & illa, quam idem Apostolus Hebr. 7. affert, nimirum, quia transferendum erat sacerdotium, necesse fuit, vt etiam legis translatio fieret: Immo quia illa Respublica erat penitus euertenda, cum aliis de causis, tum maxime propter peccatum admissum in Filium Dei, idcirco euersa Respublica, euerti etiam, hoc est, inanes fieri debuerunt leges, quibus illa politia regebatur, & Iudaei legibus gentium politicis subijci: Id quod factum esse videmus: vt ut mentiantur Iudaei, de nescio quo regno in Babylonia.

5. *Quinta* caussa abrogatae legis fuit quia inutilis erat: non simpliciter (per legem enim saltem cognitio peccati) sed ad iustificandos, sanctificandos, seruandosque homines. Rationem hanc de caeremoniis tradit Apostolus Hebr. 7. versu 18. & 19. mandatum praecedens (inquit) abrogatur, quod nullis viribus sit praeditum, & inutile: nihil enim sanctificauit Lex. Et repetitur cap. 9. versu 9. Sed de morali quoque idem docet Apostolus Roman. 8. versu 3. Vbi legi huic attribuit. eandem impotentiam: ac proinde concludit, quia Lex

non potuit nos iustificare, ideo Deum. nos iustificasse in Filio suo, &c. Ad hoc igitur quod attinet, Christus hanc etiam legis partem eatenus abrogauit, quatenus reipsa declarauit, per eam non posse homines, sed tantum per fidem in se, iustificari: eque non esse, cur homines, iustificationis causa, legem hanc seruent. Ita hoc respectu, nempe ut quis iustificetur, nemo legi morali obstrictus, subditusve est: Immo damnantur, quicumque hoc animo illam obseruant, quando hac in parte legi ipsi moriendum est, & renuntiandum, ut Apostolus docet ad Galat. Vbi de se quoque ait, *Per legem, legi mortuus sum*. Nam ipsamet lex, ut iustificemur et sanctificemur, à se nos ad Christum ablegat.

6. *Sexta*, Immo non solum quia inutilis, verum etiam, quia pernitiola (non sua quidem natura, sed vitio carnis nostrae) peccatique ministra, operans iram ac condemnationem, & litera occidens fuit, sicut Paulus istis Elogiis illam ornat ad Roman. & ad Corinth. (non tamen quod per se talis fuerit, sed per accidens) idcirco abroganda fuit, si debuimus viuere, & seruari. Fecit hoc Christus, dum nos sua morte, à peccato, ab irae Dei, & a maledictione legis liberatos, suo etiam Spiritu regenuit atque repleuit: quo intus animos nostros illuminante, & corda nostra ad ea, quae Deo placent, amanda, sponteque & libenter facienda, suauiter afficiente & impellente, nos non opus habemus amplius lege externa vel docente, vel praecipiente, vel urgente: quando Spiritus sanctus ea omnia in nobis praestat & efficit, quae debuisset lex, sed non potuit. Rationem hanc tradidit Apostolus 2. Corinth. 3. vbi legem, literam occidentem vocat: & vbi etiam modum exprimit, quo CHRISTVS ab ea lege suos liberauit, per Spiritum sanctum viuificantem.

7. Hinc *septima* causa colligi potest: ea est, quia decreuerat Pater, per Christum, nos Spiritu suo regere, et ad voluntatem suam faciendam ducere, legemque suam in cordibus nostris scribere: Ideo necessario conuequebatur, oportuisse legem in tabulis lapideis scriptam, inanem fieri: et haec est vera Decalogi abrogatio, facta à Christo, per Spiritum suum: de qua 2 Corinth. 3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Vbi enim quis à suo spiritu impulsus, sponte facit et libenti animo, ibi non est opus externo admonitore atque stimulo: et equus sponte currens, non opus habet calcaribus: et discipulus, qui amore literarum, vltro studet, non eget pedagogi mandato, neque ferula: Et ὁ μὴ δὲν ᾧ δικῶν μὴ δὲν δέϊται νόμου. Et nauis, quae secundo vento impellitur, sponteque procedit, [page 181] non eget remis: felicius enim & citius

prospero vento nauigatur, quàm remis: proinde dum est ventus, deponuntur remi, tanquam inutiles, & otiantur. Vt ergo ventus secundus, liberat nautas remorum labore, Sic Spiritus Christi agitans corda nostra, liberauit à lege: Spiritus vinificans, à litera occidente. Rationem hanc abrogatae legis tradidit. Apostolus 2. Corinth. 3. Item Galat. 5. *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege:* Et Ierem. 31. *Scribam legem meam in corda eorum.* Ergo hinc maximè intelligimus, quomodo lex moralis quoque, & non solùm ceremonialis, & iudicialis, abrogata sit illis, qui per Christum redenti, Spiritum Christi habent, & ab eo ducuntur. Atque huc spectat totus, quem de spiritu & litera scripsit Augustinus libellum, Tomo 3. Ita ex iis septem praecipuis caussis abrogatae Legis: quomodo Lex tota abrogata sit, & non abrogata, luculenter apparet, & perspicuè intelligitur. Venio nunc ad varias legis significationes, & distinctiones: in quibus etiam clarius elucescet huius quaestionis explicatio. Haec igitur esto thesis.

12. Quemadmodum nomine legis non vna, & eadem res in sacris literis significatur, sed multae ac diuersae: Sic etiam non simpliciter, quidquid nomine legis intelligitur, illud abrogatum esse, aut eodem modo abrogatum esse, dicendum est.

1. *Primò*, nomine Legis seu תּוֹרָה, tota sacra scriptura veteris Testamenti intelligitur: vt Psalm. 1. Johan. 12. *Nos audiuius ex lege* (id est, ex sacris literis) *quòd Christus maneat in aeternum.* Ita certum est non abrogatam esse legem.

2. *Secundò*, Lex pro omnibus libris Mosis intelligi solet: Luc. 24. vers. 44. Oportuit impleri omnia, quae scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me. in lege, id est, in sacris libris Mosis. Est etiam extra controuersiam, non totam hanc doctrinam, & legem abrogatam esse.

3. *Tertiò*, Lex pro pedagogia illa tota, & doctrina accipitur, qua suum populum Moses rexit, & quae quatuor postremis libris continetur. Iuxta hanc significationem accipitur Iohan. 5. *Si crederetis Mosi, crederetis & mihi: ille enim de me scripsit.* Et Matth. 22. *In ijs duobus mandatis pendet Lex, & Prophetae.* Ita nemo etiam dicit legem hanc totam & pedagogiam, simpliciter abrogatam esse. dico totam & simpliciter: quia quòd ex parte, & secundum quid, non inficiamur. Quae enim de Christo praedicta fuerunt, cùm iam

impleta sint, cessasse & abrogata esse, extra controuersiam est: Quae verò de dilectione Dei & proximi, manere adhuc, omnes fatentur. Ita distinguenda nobis est adhuc pedagogia illa Mosis.

4. *Quarto* igitur loco distinguitur tota illa Mosis pedagogia, in promissiones de Christo, deque iis quae facturus erat pro redemptione & salute nostra: in typos atque figuras, quibus quae verbis promittebantur, Symbolis etiam repraesentabantur, & sub oculos proponebantur: denique in mandata, quibus quid faciendum esset, tum in religione, tum in politia, tum in oeconomia, & cuique priuatim significabatur, & praecipiebatur: Promissiones ac Christo, & typi siue vmbrae, ac figura eius, ita abolitae sunt, vt eas non possimus in vsum reuocare, quin Christum aduenisse, & quae de ipso erant, perfecisse negemus: qualia fuerunt animalium sacrificia, & alia id genus accepta enim re promissa, promissionis obligatio cessat, & domo exstructa, typus & exemplar illius domus, nullum amplius habet vsum: Sicut aedificato templo per Salomonem, tabernaculum fuisset superua caneum, à Mose fabricatum.

5. *Quintò*, pro mandatis accipitur, quaecunque illa sint, per Moosen traditis nomine Dei: quo sensu frequens est nomen legis, in veteri Testamento: & in Actis cap. 7. Stephanus ait, *Accepistis legem per dispositionem Angelorum, & non seruastis eam.* Neque hoc sensu, simpliciter dici potest, totam legem abrogatam esse: cùm quadam sint mandata aeterna, nunquam, ac ne in coelo quidem ex cordibus Electorum abolenda: vt est mandatum de diligendo Deo ex toto corde, & de dilectione proximi nostri. Dico autem simpliciter non esse abolita, quoniam quadam etiam mandata dicuntur abrogata, partim quatenus non haec seruare tenemur, vt a Mose tradita, sed vt etiam ante Mosen à Deo in mentibus omnium hominum inscripta, & postmodum à Christo confirmata, partim quatenus è tabulis lapideis translata sunt per Spiritum sanctum, ad tabulas cordis carnales, ibique inscripta sunt: non solum vicognoscamus, sicut etiam reliquae gentes, quia faciendum sit, sed etiam vt ea faciamus: acproinde quatenus è litera, facta sunt Spiritus: vt post etiam dicemus: quo sensu locutus est Apostolus de hac abrogatione in 2. Corinth, 3.

6. *Sextò*, Lex illa tota Mosis, secatur in mandata principalia, ac quae sunt ceu fundamenta aliorum omnium, & inaccessoria: & omnia Legis nomine significantur. Principalia, sunt: decem verba (vt loquitur etiam scriptura) tabulis duabus comprehensa, quae propterea Decalogus appellantur: Hoc

enim continentur summatim omnia, quae ad veram pietatem pertinent, hoc est, ad cultum Dei, & ad dilectionem proximi. Accessoria, sunt mandata, de ceremonijs, addita primae tabulae: & mandata politica, addita secundae tabulae: Ceremoniae enim ad cultum Dei cumprimis pertinent: politica, ad vitam honestam & pacificam cum proximo transigendam. Dicam primò de accessoriis, [page 182] quatenus sint abolita, & quatenus non: Postea resumam decalogum.

7. *Septimò*, Lex ceremonialis, & iudicialis seu politica, in duas quaeque diuiditur partes, in internam, & in externam, sicut homo in animam & corpus habebant enim suam quaeque substantiam, & sua accidentia: suum succum & nucleum, & suum corticem: suum externum corpus, & suam internam animam: & internum quidem Deus volebat per se, externum verò ita volebat propter internum, vt si hoc deesset, externum illud opus nil moraretur: vt liquet apud Mosen, maximè verò apud Prophetas: quando externa sine internis, ipsis etiam impiis communia sunt: Deus autem impios, & omnia illorum opera execratur, quia quod non est ex fide, peccatum est. Quodnam verò erat internum illarum legum?

Externarum ceremoniarum, puta sacrificiorum, & sacramentorum, internus spiritus, nucleus, succus, erat fides & pietas in Deum: ad hanc enim significandam, testificandam & exercendam, illa ceremonialia fuerunt instituta à Deo per Mosen, & ordinata: vt ad circumcisionem cordis, carnaliumque affectuum, circumcisio in carne: & internus nucleus legum politicarum, seu totius illius formae iuris, erat charitas, publica honestas, pax, concordia ciuium, mutuus amor: sicut Apostolus i Timoth. 2. docet, cùm ait, *Orandum pro magistratibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni honestate & pietate*. Externa, erant ipsa externa legum opera cum suis circumstantiis, loco, tempore, personis, &c. Ad externum igitur quod attinet, vtraque lex per Christum abolita est, quanquam non aequaliter: ceremoniae enim quadam ita fuerunt abolitae, vt reuocari non possint, quin fides in Christum negetur: vt immolatio est animalium, quibus sacrificium & mors Christi significabatur, & similia: quaedam ita, vt liberae maneant, & eis vti possimus, vel non vti, prout Ecclesia iudicauerit eas facere ad aedificationem, vel non facere: modo id fiat sine obligatione conscientiae: id quod etiam de politicis intelligendum est.

Ad interna verò quòd attinet, neutra abrogata est: cùm neque pietas in Deum, poenitentia ac fides, nucleus ceremoniarum, neque mutua charitas, pax, concordia, iustitia, spiritus politicarum, sublatae sint. Ratio: quod enim aeternum est, & aeternum esse vult Deus: illud aboleri non potuit, nec potest: sed tantùm quod temporale. Atqui pietas in Deum, & charitas erga proximum, quae vt dictum est, anima sunt illarum legum, aeternae sunt, & eas aeternas esse vult Deus. nam vt ab initio mundi fuerunt institutae, immo in cordibus primorum hominum inscriptae, & in coelo non cessabunt, vnde Apostolus, *Charitas nunquam excidet* [1 Cor. 13.]: Quae igitur sunt ipsa pietas, aut ad eam per se pertinent: ea abrogata esse simpliciter dici non possunt.

8. *Octauo*, Caeterùm haec etiam, quae ad pietatem, per se pertinent, considerari possunt bifariam: nempe, aut quatenus scripta sunt in lioris, aut quatenus transcripta sunt in cordibus. Priori modo littera sunt occidens: Posteriori modo, spiritus vinificans appellantur, quia per Spiritum sanctum in cordibus inscripta sunt: quo sensu locutus est Dominus per Ieremiam 31. Se aliud foedus initurum cum populo: non aliud quo ad substantiam, sed aliud, quia alio modo, quam prius, cùm legem dedit in tabulis lapideis: eoque nouum foedus, quia nouo modo: & aeternum, quia nunquam è cordibus electorum delendum erat, vel est. Vnde & Christus huius Testamenti noui, & aeterni mediator ost. Ergo cùm è libris, in cordibus nostris inscribitur substantia & amor legis, tum dicitur littera occidens abrogari, accedente spiritu viuificante: Nos verò vera libertate donamur, iuxta illud, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*. atque haec de vtraque lege ceremoniali & iudiciali: quatenus abrogatae, & quatenus non abrogatae dici possint. quae rectè intellecta, quomodo etiam decalogus abrogatus sit, & non sit, non obscure docent.

9. *Nono*, Legis igitur nomine, quàm saepissimè decalogus, seu lex moralis, vt vocant, intelligitur: vti omnibus notum est. Haec lex, sicut & aliae, suam habet substantiam, & sua accidentia. Substantia, est ipsa legis summa, veraque pietatis doctrina: quam Christus ad duo praecepta, de dilectione scilicet Dei, & de dilectione proximi restrinxit [Matt. 22.]: Apostolus maioris explicationis caussa, tribus eam partibus complexus est, pietate in Deum, iustitia erga proximum, & sobrietate vitae nostrae, ad Titum dicens: *Illuxit enim gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegatis impietatibus, sobriè, iustè & piè viuamus in hoc seculo* [Tit. 2.]. Haec enim

tria sola, per se Deus semper, & ante Mosen à conditoorbe, & per Mosen in lege, & post Mosen per Prophetas, & nunc tandem in finem vsque mundi per Christum, perque eius Apostolos, requisivit, & requirit à nobis: Primum, vt vera ac viua in eum fide credamus, huiusceque fidei confessionem & testimonia, suo tempore edamus, ad ipsius gloriam, & aliorum aedificationem: Cuius rei caussa, duo ad extremum instituit Sacramenta, Baptismum & coenam, quibus fidem nostram, & profiteamur, & promoueamus: Deinde requirit, vt proximum ex animo diligamus, eiusque incommodis inseruiamus: Cuius rei caussa vult aliquem esse magistratum in sua Ecclesia, qui nocentes coerceat, & innocentes defendat: [page 183] Tertio, flagitat & vult, vt vitam nostram purissimè, honestissimè, & decentissimè transicamus, quibuscunque id rationibus fieri potest. Reliquit enim & hoc nobis liberum, vt pro sua quisque conditione, honestati & sanctitati vitae studeat. Haec est summa & substantia totius legis, non solùm moralis, sed etiam ceremonialis & iudicialis, item Prophetarum omnium: deque hac re locutus est Christus, cùm dixit, *Non veni vt soluam legem ac Prophetas, sed vt impleam*. Item constat, hoc sensu, legem nequaquam simpliciter esse abrogatam: id est, Christum nos non liberasse hoc debito officio, quo iuxta aeternam Dei voluntatem tenemur, Deum colere, proximum amare, nos honestè & modestè gerere, ac viuere.

Accidentia voco, illam externam decem mandatorum formam, cum suis circumstantiis, personarum, vt quòd per Moosen data sit, & quòd non gentibus, sed solis Israelitis: Locorum, vt quod in monte Sina: Temporum, vt quod 50. diebus post exitum è seruitute Aegypti: Modorum quibus data est, vt quòd in tabulis lapideis scripta, & per dispositionem Angelorum: maximè verò, quòd data sit, vt qui fecerit haec mandata, viuat in eis: & contra, maledictus sit, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro hoc. Ad haec accidentia quòd attinet, abrogatam esse per Christum dicimus eo modo, qui antè explicatus à nobis non semel fuit. Primum enim multa praecepta ad dilectionem Dei & proximi contraxit; Secundò, non vult nobis negotium esse cum Mose, sed secum, id est, cum filio Dei, qui nos verè redemit de Aegyptiaca seruitute: Tertiò, non vult vt hanc legem accipiamus tanquam è monte Sina, ad solos Iudaeos promulgatam, sed tanquam ex Sion ad omnes gentes propagatam: Quartò, neque etiam vult, vt eam amplectamur, tanquam tunc primum, cùm essent Israëlitae ad montem Sina, datam, sed tanquam aeternam Dei Patris voluntatem à condito orbe patefactam: Quintò,

neque tanquam per Angelos administratam, & in tabulis lapideis scriptam, sed tanquam per Filium Dei, in carne manifestatum, explicatam, ac confirmatam: per Spiritum vero ipsius in omnium Electorum cordibus, qui vnquam futuri sunt inscribendam: Sexto, neque vult, vt ex huius legis obseruatione vitam quaeramus, aut expectemus, sed tantum ex fide in ipsum Christum, iuxta illud, Iustus ex fide, (non ex lege) viuet. Septimo, nec igitur, vt si non exactè omnes, & semper seruauerimus, metuamus aeternam maledictionem (hanc enim sustulit, Rom. 8.) sed sciamus inchoatam etiam obedientiam nostram Deo placere, & suam habituram benedictionem: quia sola in Christum fide per charitatem efficaci, sicut homo iustificatur, sic etiam lex Dei seruatur. Ergo si substantiam legis huius, id est, summam doctrinae de pietate, spectemus, legem simpliciter abrogatam esse cum Christo negamus, qui dixit, *Non veni vt soluam legem, aut Prophetas*: Hoc enim nomine, summam illam, quam explicuimus, intellexit, quia neque Moses, neque Prophetae, aliud in summa docuerunt. Si verò accidentia, quae declarauimus: abrogatam esse constat.

10. *Decimò*, Caeterum legis nomen, quatenus pro summa doctrinae de pietate accipitur, bifariam etiam adhuc considerari potest, sicut supra quoque de substantia legis ceremonialis & iudicialis dictum est: nempe, aut quatenus in externis tantum chartis, aut quatenus in intimo cordium nostrorum inscripta est, & quotidie inscribitur. Si primo tantum modo, littera adhuc occidens est: Si secundo modo, Spiritus viuificans, & lex spiritus vitae appellatur. Ac primo quidem modo, odium legis occupat corda nostra, & si quid illius facimus, inuiti facimus, eoque peccamus, & iram Dei prouocamus. quid ita? quia non ex fide, puroque corde. Hac ergo lege liberat nos Christus, cum donatos suo spiritu, afficit amore legis, voluntatisque diuinae faciendae desiderio, pulso illius odio, quod antea occupabat corda nostra. Aboleri enim lex dicitur per metonymiam, cum illius odium è cordibus nostris aboletur: & inscriptam in nobis amamus, quam extra nos positam auersabamur: iuxta illud Apostoli, Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: & si Spiritu ducimini, non estis sub lege: Et, Nihil damnationis est iis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant [Rom. 8.].

Credo ex iis, quae diximus primum de generibus hominum, quibus data, & non data fuit lex, & quibus abrogata, & quibus non abrogata dici potest: Deinde ex iis quae diximus de caussis, propter quas abroganda fuit, & iam

abrogata est lex: Et postremò ex iis quae dicta fuerunt, de variis legis significationibus, & distinctionibus: Credo inquam ex iis omnibus abundè liquere, propositae quaestionis solutionem: quomodo scilicet lex abrogata sit, & non abrogata: in cuius quaestionis explicatione, non minima pars theologiae consistit. neque enim probè intelligi posse scripturas sentio, articulum item de iustificatione, & de bonis operibus: nisi articulus iste de legis abrogatione, aut necessitate intelligatur. Summa haec est (vt multa in pauca contraham) septem propositionibus comprehensa.

1. Lex Mosis non potest, propriè loquendo, dici abrogata [page 184] esse gentibus, quibus nunquam fuit data: Sed eatenus tantùm, quatenus Christus noluit quempiam ad se conuersum, legi illi esse obnoxium.

2. Catenus abrogata fuit lex, quatenus gentium & Iudaeorum incorporationem impediabat: Lex autem naturae per se considerata, quae gentium quoque erat lex, non impediabat.

3. Lex in sua propria significatione accepta, tres habet partes: Mandata, cum summa exactione perfectissimae obedientiae, coniuncta: Promissiones multas tum bonorum temporalium, tum vitae aeternae, sed cum conditione perfectissimae obedientiae, & obseruationis mandatorum: Denique contrà, maledictiones, si quis vlla in parte peccasset, & legis mandatum aliquod transgressus fuisset. Ac fundamentum omnium mandatorum, fuit Decalogus: Cuius primae tabulae addita fuit lex de ceremonijs, secundae autem lex politica. Omnes verò hae legis partes habuerunt suum internum, & suum externum: Externum, ceu corpus visibile & mortale, internum, ceu animam immortalem & aeternam. Erat autem hoc internum nil aliud, quàm vera pietas, constans fide viua & efficaci in Deum, vera charitate in proximum, & propria cuiusque mortificatione & viuificatione, seu vitae sanctitate.

4. Externum igitur & accessorium totius legis, abrogatum fuit per Christum: quanquam non pari prorsus ratione (vt supra explicatum est) singulae legis partes. Sicut enim non fuit illud externum semper & ab initio, sed à Mose initium accepit: sic neque in sempiternum manere debuit: sed per illum tolli, per quem omnia erant ad sua prima principia, sicut fuerant ab initio mundi, renouanda ac recolligenda.

5. Internum autem, quia aeternum fuit, & aeternum esse illud vult Deus: Sic etiam abrogatum non fuit, nec abrogari debuit, de quo Christus Matth. 5. *Non veni vt solvam legem, aut Prophetas*: Sic vera circumcisio cordis, vera sacrificia, verae ablutiones manent.

6. Dici tamen & hoc internum potest quodam modo cuique pio abrogari: quatenus cum scribitur in cordibus per Spiritum sanctum, partim ipse pius liberatur tum odio legis, quo antè tenebatur, tum legis maledictione, cui obnoxius est, quisquis non habet Spiritum Christi: partim quatenus, quod in tabulis externis erat, fit nobis cen otiosum atque inutile: Sicut remi nautis, cùm nauis data vento per se spontè procedit.

7. Simpliciter verò abrogata est omnibus in Christum credentibus, dura illa perfectissima obedientiae, sine qua nemo posset iustificari & seruari, exactio: abrogata (inquam) doctrina de fide, per quam solam gratis iustificemur, imputata nobis perfecta Christi obedientia: Deoque incoatam, imperfectamque nostram obedientiam, pro perfecta acceptante gratissimamque habente, propter fidem in Christum.